

# Seniles

Francesco Petrarca

# Liber 1

## 1

### Ad Simonidem suum

*Ad Simonidem suum, prohemium*

[1] Olim Socrati meo scribens questus eram quod etatis huius annus ille, post millesimum trecentesimus quadragesimus octavus, omnibus me prope solatiis vite amicorum mortibus spoliasset; quo dolore, nam memini, questibus et lacrimis cunta compleveram. Quid nunc primo et sexagesimo faciam anno, qui cum cetera ornamenta ferme omnia, tum id quod carissimum unicumque habui, ipsum michi Socratem, eripuit? [2] Nolo per aliorum casus stilum ducere, ne tristis michi fletum renovet memoria et annus hic pestilens, qui illum multis in locis perque hanc maxime Cisalpinam Galliam non equavit modo, sed vicit, quique inter ceteras Mediolanum, florentissimam frequentissimamque urbem his hactenus malis intactam, pene funditus exhausit, me, quod nolim, iterum in querelas neque hac etate neque his studiis neque omnino me dignas cogat. [3] Multa michi tunc permisi que nunc nego. Spero, non me flentem sternet amplius fortuna: stabo si potero; si minus, siccum sternet ac tacitum. Turpior est gemitus quam ruina.

[4] Ad id quod dicturus sum progredior. Est ad Socratem *Liber Familiarium Rerum* noster: corpore quidem ingens et, si sineretur, ingentior futurus. Proinde quod illic presagiebam video: nullus michi aliis epystolaris stili quam vite finis ostenditur. [5] Itaque siquid tale michi deinceps vel amicorum instantia, vel rerum necessitas extorserit — ego enim rerum conscius mearum non quid iam sarcinis adiciam quero, sed quid detrahamb — totum tibi inscribere

est animus, cui prosam familiariorem scio esse quam carmen. [6] Quantum sane vel rerum vel vite supererit incertum est: quantulumcunque tamen id fuerit boni, consules quod, etsi modicum, totum sit. [7] Neque vero secundi loci sortem indignabere, aut Socratem tibi prelatum credes, sed memineris ea te michi tempestate nondum cognitum qua opus illud inceptum est; in quo tamen multa sunt ad te, cui necdum Simonidis nomen indideram; quin hoc ipsum, quicquid erit, quasi enim iactum retis tibi dono, eo gratius accipies quo serius. Et libratoria enim et raria esse solent senum dona quam iuvenum.

## 2

### **Ad Franciscum SS. Apostolorum**

*Ad Franciscum Sanctorum Apostolorum, de Florentia, fortune blanditias contemptu magnifico repellendas.*

[1] Iam ante literularum tuarum adventum, et Zenobium nostrum defunctum esse mestus et te campanum fieri letus audieram. Gadeo, hercle, ubi totus esse non possum, te quasi dimidium anime mee esse, ut de Virgilio ait Flaccus, dum, quod cupio et spero, ubicunque fueris, bene ac feliciter tibi sit. [2] Neque vero aliter esse posse persuadeo michi, tali hospite Mecenate illo nostrum omnium, tali hoc animo tuo, tali denique ac tam fido tuarum virtutum tamque individuo comitatu. Ad id quidem quod Mecenas ipse tuque post illum tanta precum vi me nunc etiam in Campaniam evocatis, quid aliud dicam quam mirari me non vestros olim michi plane notissimos affectus, sed indefessam hanc instantiam totiens negata flagitantium? Nec rogando enim nec expectando lassamini, cum ego iam non negando tantum, sed tacendo atque vivendo prope lassatus

sim. De hoc sane nichil novi est ultro citroque quod dici possit: trita sunt omnia.

[3] His omissis unum dicam quo intelligas quos michi nunc quoque, ni caveam, blanditiarum laqueos mundus intexit. Sed, ut tenter, falli nequeo: sic edoctus ludis talibus atque, ut dicitur, coctus sum. [4] Siquidem hoc ipso tempore quo me hic noster tantus tamque unicus ac dilectus vocat ubi, nisi alia obstarent, non alterius quam ad mei ipsius propriam domum vocor, simul me hinc Romanus Cesar, hinc Francorum Rex certatim evocant, iis promissis iisque muneribus iam premissis que, si pergam, exequi et longum erit et videbitur fabulosum. [5] Mirum prorsus unde duobus principibus armatis ea unius inermis et iam senescentis clerici cura est. Novissime vero Summus Pontifex hic solitus nigromanticum opinari et ipse me altis vocibus ad se vocat, duobus iam nunc beneficiis collatis pluribusque, si paream, oblati. [6] Hic enimvero miri nichil, quoniam causa nota est: vult me ad officium secretorum quod Zenobius noster gessit, quodque nec ipse nec predecessor unquam suus habuisset, nisi ego illud oblatum michi perquam honorifice multos ante annos recusassem. Sed senectus avaritie suspecta est. Sperant forsitan me senem et — quod, ut perhibent, cupiditatem acuit — ditioREM solito, amplecti quod iuvenis inopsque nunquam volui. Sed falluntur cum presertim egentium amicorum, quorum me caritas tunc urgebat, tanto sim factus egentior. [7] Inter quos, ne longam tibi nunc ordiar mei doloris historiam, quam precidere potius nitor ac seponere et, si liceat, oblivisci, Iohannes meus, tuus, noster, imo Cristi — ut Ieronimi utar verbo —, ille Iohannes qui te colere apud occiduam Babilonem consueverat, iter vite durum ac breve ante vesperam, imo vero ante meridiem, peregit, cum mutationis in melius spem dedisset, credo, quo gravior michi mors esset. [8] Sed non ita est. Quod enim ad damni cumulum calcarque gemituum magna pars verteret, verti ego ad solamen et quia ille melior obiit, ego letior vivo.

Omnibus ergo me vocantibus excusationes obicio, miras quidem, sed pre aliis senectutem veram illam — non infitior — sed fando auctam. Ad honestos enim ac placitos labores adhuc Deo prestante sat validus, ad invisos decrepitus atque impotens factus sum. [9] Quod ipsum inter nature dona connumero, ut et quod posse nolim nec possim quidem, neque honesta unquam michi desit excusatio, cuius me sepe penuria tediis multis gravibusque negotiis imparatum obtulit. Ad hanc sane ultimam vocationem, cum me Pontifici excusassem, nominavi te, amice, idque pro honore tuo feci. [10] Dabis veniam, si erratum esset. Cogitavi enim si michi, quem ad tantam rem ut ydoneum elegissent, de alterius ingenio creditum esset artificis, ut par erat, vel emolumentum acceptati laboriosi, fateor, sed honesti officii, vel repulse magnanime tibi non defuturum decus. [11] Quod si michi propter inobedientiam infesti, meum quoque de te iudicium sprevissent, tamen tuum nomen semper et tunc maxime veris laudibus prosequi meum duxi; quod quidem ex alio quam ex me tibi nuntiatum malim. Scribo autem, ut paratior sis responso, siquid hinc forsitan audiveris. [12] Neque vero Mecenatis nostri laude laus tua caruit. Scripsi enim te cum illo agere et illius e gremio poscendum, ut appareat cum in aliis multis, tum in hoc quoque, qualis ille sit vir qui talia Ecclesie nutrit ingenia, cui olim Zenobium dedisset, nunc, si requiritur, te datus, ut de communis patrie laude tacuerim, que, totius civium glorie quasi fons quidam, illum simul et vos genuit et altos edidit et altorem. [13] Reliquum est ut noris me rumoribus asperis hinc atque hinc pulsum, letum minime, sed rationis auxilio rectum stare. Quid de me ipso statuam, tamen adhuc dubium et facile fieri potest, nisi novum aliquid emerserit, ut me audias non post multos hos menses in transalpinam solitudinem rediisse. Plenus sum italicarum rerum.

Vale.

## Ad Franciscum SS. Apostolorum

*Ad eundem, amice consolationis approbatio et exaggeratio et de amborum rebus.*

[1] Pergratam meis vulneribus medicinam suavissima quidem ac doctissima tua manus adhibuit: solaris me super adolescentis mei obitu, quem viventem verbo oderam, defunctum mente diligo, corde teneo complectorque memoria, quero oculis, heu nequicquam. Amantissime tu quidem istud ut omnia! [2] Sed o ingens vis amoris et rationis imperio exempta! Fles tu interim, consolator meus, et quod fieri ratio prohibet, amor cogit. Fles tu illum nec immerito. Quisquis enim esset in reliquis, tui amator admiratorque tuique nominis indefessus cultor evaserat; quod michi unum de multis indicium erat mutari illum in dies et magno nisu evi vitia tenerioris excutere. [3] Cristum testor cui ille nunc vivit et cui sepe suspirans precor funus meum raptique animam recommendo, non ille me tibi vel caritate vel extimatione pretulerat; neminem ille mortalium tibi equabat, sic in arce iudicii sui stabas, is amor, ea mens erat, ea demum uniformitas iudicantis: in ceteris namque pro etatis incostantia varius, in te unus semper. Siquis forte in comparationem tui venisset seniorum in concilio palam loqui veritus, sumissa fronte, risu tacito, sententiam proferebat. Et si quando iuvenilis illum ardor in verba compelleret, reverentiam cum dilectione certantem cerneret, verecundiam cum pietate. Iure igitur illum fles illumque desideras, qui te fleturus esset ut patrem, desideraturus ut filius. [4] Sed quoniam vix est ut fortuna semel feriat et non repetitis ictibus conficiat quem invasit, una nunc quoque vulnus alterum, Socratem meum defles, quem michi, orbe alio genitum, primo statim congressu, frons, ingenium, virtus unanimem fecerant, sic ut

nunquam postea vel momento temporis labare illi meis in rebus animum senserim fidem ve lentescere. [5] Barbarice nato homini rarum prorsus! Sed consuetudo longior et convictus assiduus nosterque amor sic illum moribus, sic affectibus nostris imbuerant, quasi media natus esset Italia. Noster erat, nostra omnia mirabatur et pene iam oblitus originis, nil in terris nisi Italiam suspirabat. [6] Quid vis dicam? Tanta illa transformatio studiorum ac nature et stupori omnibus et gaudio michi erat ingenti, eo maxime quod in meam gloriam reflecti quodammodo videretur, cum hauddubie inter mortales primum ille me sibi animo fecisset. [7] Hunc ego ante ortum alterius, toto ferme septennio, primo flore adolescentie primum novi, tum scilicet dum haud procul Pireneis collibus sub incomparabili viro alme memorie, Iacobo de Columna, locorum presule, magno ac dulci coevorum contubernio, iocundissime viveremus. [8] Et o celi regnator, o creator temporum, o siderum moderator! Unde hec tanta velocitas? Nudius tertius id fuisse dicturus sim nisi quod preter unum Lelium nostrum, de quo ipso sum dubius, nullum penitus e cetu illo superesse iam reor. [9] O fallax vita hominum! Nec definimus hic longas et tam brevi spatio inexplicabiles spes ordiri. O laborum campus asperrimus, o errorum inscrutabilis labyrinthus, o gemituum trux palestra! Hic, hic infelices angimur, hic nitimur, collidimur, exercemur et, qui furorum ultimus, hic gaudemus, extollimur, superbimus; hic potentiam, hic honores, hic opes, hic imperia molimur, hic iniurias, hic rapinas voluimus, hic vindictas, quid de nobis interea non ventura tantum dies, sed hora etiam presens pariat incerti, nilque aliud diu vivendo consecuti, nisi ut soli ac mesti, ut corporibus utque animis graves, inter questus et lacrimas et desideria senescamus. [10] Certe ego qui ‘nudius tertius’ dixi, melius ‘hodie’ dicturus: quid enim nisi dies unus est vita hec? Isque hibernus brevis, turbidus et, ut multis mane, multisque meridie interruptus, sic paucissimis perductus ad

vesperam. [11] Hodie — inquam — tanto et tam delectabili comitatu, stadium hoc ingressus, ecce, iam vie fessus et prope iam solus, ad metu feror, neque in hoc exoptato votis omnibus longiuscule vite tractu, boni aliquid intelligo, nisi quod equanimius fortasse morimur, iis premissis qui dulcem nobis faciebant vitam, nil a tergo, quod vellicet animum, relinquentes; nisi, contra, importunum illud ac miserum, semper flendo «in perpetuo merore», ut Satyricus ait, «et nigra veste senescere», sive, ut proprie quod est dicam, inter amicorum mortes sepe mori, nullum tuorum novissime relinquentem, cuius in ore memoriaque post obitum sis victurus. [12] Et tu michi nunc amabili prorsus iniuria ac paterna laboriosi huius tristisque negotii longitudinem imprecaris, dum tremere te ais atque horrere ne michi superstes sis. Ego vero superstitem te volo et hos pauculos qui e tanta amicorum acie iam soli superant. [13] Sint qui ultima iussa abeuntis excipient, sint qui oculos tegant, humi obruant quamvis affatim illud mors faciat, hoc natura. Sed dulce est amice manus obsequium, nec ulla michi adversus fortunam meam gravior querela est quam quod, amicis ante diem ablatis — si quis huic muneri dies esset — ego durior adamante, testudine tardior ac fenice vivacior, huc dilatus sim: ne cumulus desit offense, quorum manibus sepeliri optaveram, interesse non licuit sepulture.

[14] Sed redeo ad Socratem qui ad me non redit, nec me tamen animo deserit, ut, puto, corpore licet, abscesserit, cum unum et triginta mecum annos fidelis explesset amicitie (alter enim fletus noster vite quintum et vigesimum non implevit). [15] Quid nunc loquar? Dicerem ‘hei michi’ ter et amplius, nisi quod luctum pellere est animus: possem simul utinam et dolorem pellere! Nitar equidem. In quam rem tuo michi consilio utendum video, quod et virtus humanis casibus altior et «qui dedit abstulit». [16] Ignoscendum morti: suo iure usa est; nec fortuna nobis accusanda, nec natura, nec querendus ordo, ubi nullus unquam fuit, cavendumque quod in aliis

aliquando reprehendimus, ne iure optimo reprehendatur in nobis. Nec mirandum vero quod acerbus ille, hic matus, adhuc virens, obiit: utrique suum vite tempus impletum. Nostra nobis implenda sunt sequendique quos premisimus et quod milies diximus iam tandem ante oculos habendum. [17] Levis est enim solius lingue disciplina; philosophandum nobis et de rebus est, si re ipsa salvi esse cupimus. Hic figamus animum et quod loquimur sentiamus. [18] Sequemur nostros: quis hinc dubitat? Sequemur cito, statim, nunc fortasse et certe nunc sequimur. Nam quid agimus aliud — oro te — dum quieti etiam videmur, nisi properare et currere? Currimus quidem omnes et singuli currimus et vicissim nos urgemos. Quid hic opus est stimulis? Ipsa nostra nos vehit, ne dicam, precipitat, natura et preeuntibus applicat. Nulla est mora. Quid merori incumbere aut torquere desiderio animam iuvat? En confessim quos querimus consequemur! [19] Ad illos enim nos ituri sumus, illi ad nos minime reversuri: nempe necessarium hoc nobis at illis irremedabile iter est. Quibus ita se habentibus, abstinendum gemitu et querelis inutilibus proque illorum salute oblationibus piis ac precibus indulgendum, quas tu — familiaris ac domestice conviva Cristi — frequentes pro altero te daturum spondes. [20] Utique id pro utroque facias quotiens ad mensam colloquiumque Domini tui veneris, per memoriam nostri, per amicitie fidem etiam atque etiam obtestor. Hec sunt nostri doloris utiliora remedia, quorum michi non exiguam portionem, more ac stilo illo tuo, sensum largior quam verborum, in angustam partem epystole concessisti; que ve idcirco meis verbis libens repeto ut, in meum animum tuo stilo transfusa, meoque calamo mox in te refusa, sic mea fieri incipient ut tua esse non desinant, repercussi clavi in morem, hinc et illinc affixa pariter ac suffixa memorie. [21] Utar hoc libens tuo munere quo nullum tempori aptius prestari poterat nullumque salubrius indigenti: efficacissimus ad curandum ille est medicus de quo maxime eger

sperat. [22] Superest ut, quoniam michi ad tempus Socrates meus eripitur neque, ut vides, huic generi comuni scripturarum ullus (quod sepe iam diximus) nisi qui vite finis apparet — quod, etsi solito avidior sim quietis, amicis tamen interpellantibus non respondere nefas sit nec sine quadam, quam valde horreo, nota insolentie fieri possit — omnis ille familiarium iamque senilium rerum stilus ad te transeat et alienigene hac in parte deditum ingenium, concivi deiceps meo, vati sacro ob eamque rem nostro Simonidi, consecretur. [23] Tu es enim meus ille Simonides quem prima huius operis compellat epystola, que nondum tamen ad te venit, nec veniet quidem sola. Illam certe cum legeris, quid huic desit, intelliges.

[24] Reliquum est ut tui honoris et mei me otii studiosum ad quattuor Idus Ianuarias, Patavio digressum, perrexisse Mediolanum scias, quo essem ad transitum Alpium paratior. Oderam namque italos tumultus optabamque quam primum hinc abire, ut et transalpinum Elicona reviserem, quem iam prope decennium intermisi, cuius mei desiderii, simul ac tedi, satis te uno verbo superioris epystole finis admonuit. [25] Et siquid fidei Pontifex michi Maximus habuisset, te sibi, quod absens scripto feceram, pro me vicarium presens darem. Sic simul et officio illi totiens michi oblato, cui vel ob hoc ipsum bene consultum velim non tantum bene, sed magnifice et tibi seu necessitatibus saltem tuis, quas occultare michi vis nec potes, tanto licet tempore ac terrarum spatio distractus, utcunque provisum iri extimans — verum omnibus undique bello ardentibus, aditus arma inter paucis inermibus non fuit — substiti ergo, responsum Pontificis opperiens, quod seu illis suo bello implicitis (multa enim et gravia inde narrantur) seu captis in itinere nuntiis, quod de multis audivimus, nondum habui. [26] Hoc unum civibus nostris mercatoribus Mediolani agentibus scriptum est per suos respondisse Pontificem, si oblata respuerem, irem saltem ad eius presentiam, mecum dicens quem officio ydoneum iudicarem.

Que an vera sint nescio, sed, si ita est, paratus esto vel mecum vel cum literis meis illuc ire. [27] Si cetera enim clausa permanserint, iter tibi patet equoreum. Ego quidem expectationis impatiens atque in circuitu nova bellorum semina iacta conspiciens, iam fere cuntis fractis itineribus, Pado me credidi et quo in hoc statu rerum vix volucris penetrasset, ad quintum Idus Maias Patavium redii, hinc ex ordine iturus ad Cesarem, tam me crebris tamque altis vocibus evocantem ut dissimulari amplius, illesa verecundia ac devotione, non posset. Sic accinctus in zephirum, in boream ibam, ut intelligas humanorum consiliorum quanta constantia est. [28] Sed hac quoque preter spem bello obstrusa omnia repperi, neque minus hic angulus Venetorum, pacis olim habitatio atque Alpes Norice quam reliqua fervet Italia, cum Alpibus que vicina Germanie pars est suis et ipsa motibus estuat. Ita est: omne latus nostri orbis uno nunc tempore Mars infestat. [29] Que quamvis amico pacis animo non molesta esse nequeant, quia tamen estivam requiem pollicentur, prope gratissima dixerim: tensas nempe ad occasum alas atque ad Arthon, inter Alpes atque Apenninum, secus Adriatici sinum maris nota contrahunt ac detinent statione. [30] Huc tu, siquid michi nunc scripturus es, scribe et, quoniam te litoribus siculis morte Regis avulsum suspicor, illud quoque ne subtrahas tua omnia noscendi michi avido, ubiqueque suaviter teque tuumque, imo equidem nostrum ducem, instabilis fortuna depositus. [31] Ultimum est ut exoptatum diligentie tue munus promissumque non differas: bibliothece huius ornamentum in qua michi omnis requies oblectatioque animi atque unicum iam vite solatium remansit, propera — per omnes celicolas, oro te — et arcule nostre fidem adhibeto. [32] Quod cum michi contigerit, nil magnopere in terris amplius optabo, nempe qui iam spe sola efferor iamque, etsi librorum nichil accesserit, his ipsis qui non pauci sunt, neque ignobiles, meo dives satis ipse iudicio, opibus Cresum vici

omnesque nostrorum locupletum archas atque areas parvipendo.  
Vive atque vale, nostri memor.

VI Idus Iunii

4

## Ad Talarandum Albanensem

*Ad Talarandum Albanensem epyscopum cardinalem, oblati laboriosi honoris recusatio.*

[1] Literas pridem tuas, amantissime pater, inque illis apostolicum preceptum reverenti gaudio stupens legi, ad quas familiaris tui illius festinatio iustum respondendi spatium non dedit. Respondi tamen ut potui, idque perbreviter sed pervere, et quod literis defuit note fidei nuntio commisisse contentus fui. [2] Ecce nunc iterum aliis atque aliis de eadem re, et literis pulsor et nuntiis, quibus et stupor meus crescit et gaudium. Nam quis, queso, non stupeat simulque non gaudeat, si amicus sit, vicarium Iesu Cristi, qui me magum non tam suspicari sed affirmare solebat, opinionem hanc de me falso conceptam semperque hactenus contra tuum eloquium ac multorum illam extirpare volentium pertinaciter defensam, nunc repente non modo deposuisse, sed opinione alia permutasse tam diversa ut, cuius horrere videretur alloquium atque aspectum, eius nunc secretam conversationem ac fidele obsequium donis poscat ac precibus? [3] Magna vis veri est: impelli potest prosternique mendacio, non extingui; per se ipsum, cum aliquandiu iacuerit, altius assurget et clarius. Parcat autem illi Deus qui false illius opinionis autor fuit. Magnus ille quidem vir, nempe tui ordinis non ultimus et preterea iuris consultissimus, quodque mirabiliorem facit errorem, et experientie multiplicis et provecte admodum etatis; nisi forte non error ille aliquis sed odium solum fuit, quamvis error nullus maior possit esse quam crimen. [4] Neque vero tam turpiter quisquam

errat, quamlibet ridiculum aliquid ineptum sibi ignorans finxerit, quam qui, persciens, Deum odit aut proximum. Quecunque demum fuerit causa, magum ille me dixit, nec erubuit afferre rationem quod Virgilii libros legerem seu legisset, et invenit fidem: en ingenia quibus rerum summa commissa sit! [5] De his vero quotiens riserimus tu nosti, eo ipso nonnunquam presente cui delator meus persuaserat; donec illo tandem ad papatum evecto, res ludicra esse desiit atque ad iram tuam vergere cepit ac dolorem meum. [6] Non quod ab eo aliquid magnopere cuperem — ambitiones mee note tibi omnes sunt — sed cum Benedictus adolescentiam et iuventam Clemens meam non dico innocentem, sed a turpibus studiis ac maleficiis artibus abhorrentem agnovisset, senectutem meam Innocentio suspectam esse non dolere non poteram; proinde per id tempus quo ille concenderat, nescio an unquam reversurus inde abiens, dum tu me vale dicturum, ipso etiam volente, ducere voluisses, abnui, ne aut illi mea magia aut michi molesta credulitas sua esset. [7] Scis me verum loqui teque non semel frustra nisum ne, insalutato illo, proficiserer: en quid michi venenosa vox contulit unius viri cui nulla quidem in me odii ratio erat. Sed sine causa nichil fit. Oderat ille me non propter me, quidem, sed propter illum cui familiarissimum me fuisse meminerat, propter quem et te ipsum oderat; sed odii sibi conscius iniusti erga utrumque nostrum, simulator callidus amicitiam fingebat. [8] Nota tibi commemororo: sic sepulto illi impius nec lenitus morte ipsis bellum cineribus indixerat. O tristis et ceca rabies animi propagatrix pestilens odiorum! Certe si inimicos diligere dominico iubemur imperio, quid iis fiet quibus inimicos etiam extinctos odisse non sufficit nisi amicos illorum omnes immortali odio insequantur? [9] Sive autem vivax odium sive pudor mutandi quod dixerat causa esset, suggestionem hanc aluit ille dum vixit et quam plantaverat irrigavit; gratias Deo quod mendacium veritas, mors mendacem vicit. [10] Non credit profecto

magum pontifex quem secretarium vult, nec scelestis operam dare carminibus quem interioris thalami arcano dignum et sacris aptum censem epystolis; magnas sibi pro tantis honoribus nec minores pro tali errore deposito grates ago. [11] Etsi enim opinionibus vagis ac falsis quati nequeant constantes animi, sine quodam tamen angore non fuerat apud animum meum falsa licet opinio tanti viri, neque ullo pacto velim diuturnam adeo fuisse ut de me talia sentientem vel mea illum vel sua dies ultima inventura fuerit.

[12] Scio autem expectari responsum meum; et quamvis humilitatem meam illinc et Pontificis pietas et tua humanitas et amicorum preces ac lacrime vehementer trahant, hinc meorum consilia impellant, fixus tamen in proposito sum primo. [13] Nil est penitus quod mutem. Que res, apud alium si agenda sit, plurimum hauddubie verborum egeat; tibi meis in rebus non tantum sermo brevis, sed silentium sat est. Tecum enim, meo iure, daviticum illud usurpo michi: «Domine, ante te omne desiderium meum», et non quidem «gemitus», qui michi de rebus iam labentibus nullus est, sed certe suspirium meum «a te non est absconditum»: quid velim, quid optem, quid ambiam, quo suspirem non michi notius quam tibi est. [14] Quid igitur multis agam? Video me vocari ad lucrum, ad honorem, ad laborem, fere cuntis optata mortalibus. Michi vero cum multis nichil convenit, proinde nec fortuna mea nec animus lucri egentes, nec professio viteque genus honorum talium, neque occupatio etasque devexior laborum. [15] Excusabis me iterum Pontifici ne, quod modestie est, insolentie tribuatur: quod sepe me honestavit, tuum modo me defendat eloquium. Nominavi duos compatriotas meos, et, si tanto officio par creditus, extimator aliorum dignus censeor: est uterque dignissimus. [16] Ego tamen, qui effectum rei celerem ac felicem cupio, iam utrunque literis meis experiri volui et quod vaticinabar repperi; alter onerosum respuit honorem, alter, si requiritur, presto est: ubinam vero sit querendus

ac quicquid in rem est, tuus hic nuntius novit. [17] Hoc extremum Pape dicio: si hunc habet, me quidem et quicquid ex me querebat, plusque aliquid, invenerit; una est patria, unum nomen, unus animus, unum ingenium, unus stilus: vita ille clarior et sacerdotio insignis. Vale, Ecclesie decus ac nostrum.

## 5

### Ad Iohannem de Certaldo

*Ad Iohannem de Certaldo, florentinum poetam, de vaticinio morientium, de brevitate ac miseria vite huius. Et saluti anime literas non obstare.*

[1] Magnis me monstris implevit, frater, epystola tua quam dum legerem, stupor ingens cum ingenti merore certabat. Uterque abiit dum legisset. Quibus enim oculis, nisi humentibus, tuarum lacrimarum tuique tam vicini obitus mentionem legere potui, rerum nescius omnino, solisque inhians verbis? [2] Ubi demum in rem ipsam internos flexi oculos defixique, mutatus illico animi status et stuporem seposuit et merorem. [3] Iam primum quod erat in ipsa literarum fronte pretero ubi, dum verecundissime simulque reverentissime non te ausum dicis preceptoris tui incliti (sic me tua nimia vocat humilitas) consilium improbare — quod Musas totumque, ut ais, Elicona tecum trahens, cuius olim, ut scis, inops plebeiusque incola fueram, nunc iam peregrinus, abstractus curis, pene exul sum, quasi damnatis Italos et indignis industrie mee fructu meique presentia iudicatis, in Germanos sive Sauromatas (verbo tuo utor) ultimos commigrare decreverim — multo me, fateor, efficacius reprehendisti, quam si totum eloquentie tue flumen in satyram effudisses. [4] Equidem gratulor hunc tibi esse animum atque hunc zelum, ut, quod Maro ait,

omnia tuta timens,

metu magis abundes, quam amore deficias. Tibi vero, amice, cui meorum consiliorum nichil occultum velim, totum lese mentis archanum pando: me, ut italice telluris aspectu satiari nequeo, sic — quod nuper Simonidi nostro scripsi — italicarum rerum usque, hercle, ad fastidium plenum esse et sepe hinc michi in animum venisse nempe non in Germaniam, sed in aliquas mundi latebras me conferre ubi, procul ab hoc strepitu invidieque turbinibus quibus me non tam utique mea sors — que me iudice nescio an contemptum, sed certe invidiam non meretur — quam hoc undecunque partum nomen exposuit, bene latitans, bene viverem, si datum esset, ac morerer. [5] Et fecisset, nisi quia, quo me animus urgebat, fortuna iter obstruxerat. At quod nunc ad Arthon intenderam non huius, quod audisti, propositi mei erat, neque enim in illa barbarie inque illa celi inclemencia terreque duritie requiem quero; sed verecundi modestique prorsus obsequii, quod scilicet Cesari nostro, totiens tantisque me precibus evocanti, brevem mei presentiam denegasse non superbie modo sed rebellionis aut sacrilegii cuiusdam videretur, quandoquidem nostri «maiores», ut apud Valerium legisti, «eum qui venerari principes nesciret in quodlibet facinus procursurum crediderunt». [6] Parce autem metui et querelis parce, nam et hac quoque bello clausum iter haud invitus offendit. Mira res dictu: quo libenter ibam, libentius non eo. Satis et desiderio Principis et mee fidei fuerit ire voluisse, de reliquo fortuna culpabitur.

[7] His omissis, ad id venio quo me adeo prima lectione concussum dixi. Scribis nescio quem Petrum senensem patria, religione insigni et miraculis insuper clarum virum, nuper obeuntem, multa de multis, inter quos de utroque nostrum, aliqua predixisse; idque tibi per quendam, cui hoc ille commiserat, nuntiatum. [8] Ex quo exactius dum quereres, quemadmodum sanctus ille vir, nobis incognitus, nos novisset, sic responsum: fuisse illi propositum, ut intelligi datur, pium aliquid agere, quod cum implere, denuntiata sibi

— auguror — morte, non posset, orasse Deum, efficaci et ad celum per ventura prece, rebus ydoneos vicarios designaret quibus negatum sibi cepti seu destinati operis exitum divinitas largiretur; cumque familiaritate illa que Deum inter iustique animam est, se intelligeret exauditum, ne quid in re dubii foret, Cristum ipsum habuisse presentem, cuius in vultu omnia cognovisset:

que sint, que fuerint, que mox ventura trahantur,

non ut apud Maronem Protheus, sed plenius multoque perfectius ac clarius. [9] Nam quid — oro — non videat, Illum videns per quem omnia facta sunt? Illum oculis vidiisse mortalibus magna res — fateor — si vera. Usitatum enim et vetustum est plerunque mendaciis fictisque sermonibus velum religionis sanctimonieque pretendere, ut humanam fraudem tegat divinitatis opinio. [10] De quo in presens nil pronuntio. Cum ad me defuncti nuntius ille pervenerit, quem ad te primum, quod essem forte vicinior, expositisque mandatis mox Neapolim, inde mari in Gallias atque in Britanniam perrexisse significas, novissime me visurum et michi virilem mandatorum partem ex ordine prolatarum, tum demum — quantum apud me sit fidei — reperturus videro: etas hominis, frons, oculi, mores, habitus, motus, incessus, sessio, voxque ipsa et oratio et, super omnia, conclusionis affectus ac loquentis intentio ad consilium vocabuntur. [11] Nunc — quantum ex tibi dictis elicio — nos duos aliquosque nonnullos, ex hac vita discedens, ille vir sanctus vidiit ad quos quedam secretiora committeret huic sue huius modi ultime voluntatis executori industrio, ut tu extimas, ac fideli. Hec, ni fallor, historie summa est. Ceterum quid ex hoc alii audierint in dubio est. [12] Tu, quod ad statum tuum attinet, duo hec — nam cetera supprimis — audisti: vite tue terminum instare paucorumque tibi iam tempus annorum superesse: hoc primum tibi; preterea poetice studium interdici: hoc secundum ultimumque. Hinc illa consternatio merorque ille tuus, quem legendo meum feci meditandoque deposui

et tu, si michi aurem, imo si tibi, si rationi insite animum prestas, abicies, et videbis inde te doluisse, unde potius sit gaudendum. [13] Non extenuo vaticinii pondus: quicquid a Cristo dicitur, verum est. Fieri nequit ut veritas mentiatur. At id queritur Cristus ne rei huius autor sit, an alter quispiam ad commenti fidem, quod sepe vidimus, Cristi nomen assumpserit. Esto autem, inter ignaros huius nominis res agatur. [14] Si poetis, si philosophis gentilium fides est, multa vaticinari solitos morientes et Grecorum litere loquuntur et nostre. Vides ut Hector homericus mortem vaticinetur Achilli, virgilianus Horodes Mezentio, ciceronianus Theramenes Critie, Calanus Alexandro et, quod est his similius que te premunt, apud Possidonum philosophum sua etate clarissimum, Rhodius quidam moriens brevi post se morituros sex ex coevis suis nominat et, quod plus est, ordinem adicit moriendi. De quarum rerum vel veritate vel causa disputandi non est locus. [15] Sed ut hec et que similia traduntur ab aliis, postremo que terrorificator hic tuus nuntiat, vera sint, quid est tamen quod te usque adeo permoveat? Vulgaria et nota contemnimus, inopina nos quatunt ac perturbant. An tu — queso — modicum vite esse quod superest, si iste tibi non diceret, ignorabas? [16] Quod nec hodie natus infans, si ratione uti possit, ignoret, omnium vita mortalium brevis est, senumque brevissima, etsi sepe preter opiniones spesque hominum — quod quotidie querimur ac lugemus — nascendi ordinem mors prevertat, ut ex vita qui huc ultimi venere primi abeant. Profecto fumus, umbra, somnium, prestigium, nichil denique nisi luctus et laboris archa vita est que hic agitur; quod unum boni habet: ad aliam vitam via est. [17] Alioquin non contemptibilis modo, sed odiosa prorsus ac misera et de qua consideratissime dictum sit: «Longe optimum non nasci, proximum quam primum mori». Neve suspecta sit pagani hominis precisa sententia, Hebreorum sapientissimus illi accidit, imo vero — quod et Ambrosius, fratris obitum deflens, suo more vestigat et sic esse,

discussa temporum ratione, deprehenditur — non ille philosophos, sed illum philosophi sequuntur. Cuius ego sensum tibi de Ambrosio, potius quam de Salomone descripserim, ut dicto uni duplex esset autoritas. [18] Sic ergo ait: «Non nasci longe optimum, secundum sancti Salomonis sententiam. Ipsum enim etiam ii, qui sibi visi sunt in philosophia excellere, seuti sunt. Nam ipse illis anterior, nostris posterior, in Ecclesiaste locutus est: ‘Et laudavi ego omnes mortuos qui iam defuncti sunt, magis quam viventes quicunque vivunt usque adhuc. Et optimus, super hos duos, qui nondum natus est, qui nondum vidi opus malum, quod factum est sub sole’». [19] Nec ita multo post et hoc inquit: «Quis hoc dixit, nisi ille qui sapientiam poposcit et impetravit?»; et mox, paucis de sapientia illius interpositis, «Quem igitur», ait, «non latuerunt celestia, quemadmodum laterent mortalia et de sue conditione nature, quam in se expertus est, errare aut mentiri potest? Sed non solus hoc sensit, etsi solus expressit. [20] Legerat sanctum dixisse Iob: ‘Pereat dies illa qua natus sum’. Cognoverat nasci malorum omnium esse principium et ideo diem qua natus est perire optavit, ut tolleretur origo incommodorum». Post hec, David ac Hieremie testimonio adhibito, sic concludit: «Si igitur — inquit — sancti viri vitam fugiunt, quorum vita, etsi nobis utilis, sibi tamen inutilis extimatur, quid nos facere oportet, qui nec aliis prodesse possumus et nobis vitam hanc, quasi funebrem pecuniam, usurario quodam cumulo gravescente, onerati in dies peccatorum ere sentimus?». [21] Que si dixit Ambrosius, si tales ante eum viri dixerant, quid miser ego dicturus sum, cuius vita non solum peccatis obnoxia atque oppressa, sed tota nichil nisi tentatio ac peccatum est? Verum, etsi multa hic et dicantur ab aliis et a nobis etiam dici possint, quos malorum experientia doctos fecit, tibi tamen vel ista superfluunt. Neque enim docendus michi, sed excitandus es, ut memineris quid divini homines, quid tu ipse hac de re senseris, antequam tibi repens stupor tui memoriam extorqueret.

[22] Ex quo tamen huc loquendo pervenimus, insistam paululum. Quamvis igitur hec — ut dixi — ab ingentibus viris disputata atque firmata sint, sic ut non tantum rationibus, sed autoritate etiam premant sua, non alienum fuerit fortasse, quid de his ipsis alii senserint, audire. [23] Sunt autem duo hec: unum, quod «hec nostra, que dicitur vita, mors est», hoc iuvenis Cicero sexto *Rei publice* libro scripsit; idem senex *Tusculanarum Questionum* prima luce repetiit; alterum eodem *Tusculani* libro primo posuit, «non nasci homini longe optimum, proximum quam primum mori». Utrunque fortassis et Cicero ipse, alibi, et multi alii dixerunt. [24] Et primum quidem, tametsi innumerabilibus vite malis non verum modo, sed verissimum videatur, simpliciter tamen vitam mortem dici animosum potius arbitror, quam usquequaque verum aut libratum satis. Quid vero? Placet gregoriana illa moderatio in sermone illo quotidiano: «Temporalis», inquit, «vita, eterne vite comparata, mors est potius dicenda quam vita». Hoc et tutius et salubrius dici puto. [25] De secundo autem et de utroque, quamvis, ut vides, maximi sint autores, quid tamen vir doctus et eloquens Lactantius Firmianus hinc senserit, non alienum videtur inserere, qui libro *Institutionum*, non recordor quoto, impatientiam arguens humanam, «Quid dicemus ergo», ait, «nisi errare illos qui aut mortem appetunt tanquam bonum, aut vitam fugiunt tanquam malum? Nisi quod sunt iniquissimi qui pauciora mala non pensant bonis pluribus. [26] Nam cum vitam omnem per exquisitas et varias traducant voluptates, mori cupiunt, siquid forte iis amaritudinis supervenit, et sic habent, tanquam illis nunquam fuerit bene, si aliquando fuerit male. Damnant igitur vitam omnem, plenamque nichil aliud quam malis opinantur. [27] Hinc nata est inepta illa sententia, hanc esse mortem quam nos vitam putemus, illam vitam quam nos pro morte timeamus: ita primum bonum esse non nasci, secundum, citius mori. Que, ut maioris sit autoritatis, Sileno attribuitur. Cicero,

in *Consolatione*: ‘non nasci’, inquit, ‘longe optimum, nec in hos scopulos incidere vite, proximum autem, si natus sis, quam primum tanquam ex incendio effugere Fortune’. [28] Credidisse illum vanissimo dicto exinde appareat, quod adiecit de suo aliquid, ut ornaret. Quero igitur cui esse optimum putet non nasci, cum sit nullus omnino qui sentiat: nam ut bonum sit aliquid aut malum sensus efficit; deinde cur omnem vitam nichil esse aliud quam scopulos et incendium putaverit, quasi aut in nostra fuerit potestate ne nasceremur, aut vitam nobis Fortuna tribuat, non Deus, aut vivendi ratio quicquam simile incendio habere videatur». Hec Lactantius.

[29] Ecce autem, ne me cuiusquam sententie addictum putas, et autores et sententias discordantes in medium sciens volensque convexi et tu eliges, ut visum erit, et suo veritas loco stabit. Ego autem, ut ad rem redeam, unum hoc dixisse velim, quicquid horum, que multa diximus, sit verius: nobis tamen hec vita ut non nimis amanda, sic usque ad exitum toleranda est, perque hanc ipsam ad alteram, quasi per predurum iter, ad optatam patriam aspirandum. [30] Evidem iam non nati esse non possumus. At si vita anceps, si periculosa, si mala est — de quo, ut puto, nemo vivens dubitat, nisi qui, vanis voluptatibus excecutus, veram sui notitiam iudiciumque perdiderit — consequens est rei male bonum atque optabilem finem esse et, si flenda vita est, — quod de vita, forsan per se ipsam extimata, non negem — non quod desinat, flendum esse, sed quod ceperit. [31] Quod et quasdam gentes facere solitas accepimus, quibus naturalem esse philosophiam iure dixerim, in ortu suorum flentibus, in fine gaudentibus, quem timendi non tam delectatio vite brevis causa est, quam supplicii pavor eterni, quod, ut trahi possit, vitari utique nisi virtutis et misericordie ope non potest; sed nec trahi quidem. [32] Non mors itaque metuenda, que frustra metuitur, sed corrigenda vita est: que res una, ne mors sit formidolosa, prestabit.

Habenda nobis interim ipsa cum morte familiaritas quedam, nec tantum nomen illud horribile, sed rei ipsius extimatio atque imago in commercium arcessenda, ut, quam sepe meditati erimus, venientem excipiamus intrepidi, nec ut incognitam horreamus. [33] Hec Platonis, hec post eum philosophorum excellentium doctrina est, qui philosophiam ipsam omnemque sapientium vitam «meditationem mortis» esse diffiniunt. Quod et Paulus sentiebat Apostolus, ubi se «quotidie mori» ait. Nemo enim amplius quam semel naturaliter mori potest: ut sepius moriamur et rem vulgi opinione durissimam consuetudine leniamus, meditatio frequens efficiet, non natura. Que qualis fuerit philosophis, norunt ipsi. [34] Nunc clarius multo quam prius, nostra, id est Cristianorum, meditatio: Cristus est vitalisque Cristi mors ac de morte victoria. Non possum secludere quod se ingerit de hac re consilium Ambrosii libro eodem de fratribus interitu. [35] Nec miraberis hoc autore uti me, qui iam prope decennium mediolanensis totoque septennio suus hospes fuerim. Ait ergo: «Quid est Cristus, nisi mors corporis, spiritus vita? Et ideo commoriamur cum Eo ut vivamus cum Eo. Sit quidam quotidianus in nobis usus affectusque moriendi, ut per illam, quam diximus, segregationem a corporeis cupiditatibus anima nostra se discat abstrahere et, tanquam in sublimi locata, quo terrene adire libidines et eam sibi glutinare non possint, suscipiat mortis imaginem, ne penam mortis incurrat». [36] Mitto alia; et hec ipsa, si plura sint quam voluisses, ignoscito. Eo enim pergunt ac te retrahunt unde te meror abduxerat, ut nec valde vitam diligas, neque vite finem oderis aut metuas, neque propinquum iam provecte stupeas etati qui nunquam pueritie vel infantie longe erat, etsi longissime fingeretur. [37] Illud potius mirare contigisse tibi, quod nescio an cuiquam alteri preter Ezechiam regem omnibus seculis acciderit, ut scilicet tui vatis eloquio certus sis aliquot annos vite tibi nunc etiam restare: neque enim tam pauci esse possunt quin saltem duo sint. [38]

Sic ubi nemo mortalium diei unius, nemo vel hore integre, tu annorum teneas sponsonem, nisi forte proximam nuntianti mortem creditur, non sic vite spatum exprimenti. Et est hoc sane in his vanitatibus importunum, ut ex malis nuntiis timor dolorque certus oriatur, ex bonis inane gaudium, spes incerta. [39] Utcunque res casura est an non virgiliani carminis meminisse oportuit?

Stat sua cuique dies, breve et irreparabile tempus  
omnibus est vite; sed famam extendere factis,  
hoc virtutis opus.

Factis, inquam, non tenuem fame sonum aucupantibus, sed virtutem ipsam, que necessario e se vere glorie umbram iacit. Dicerem salutare, diceremque unicum, in hac rerum perplexitate, consilium ni, poeticum sciens, auribus tuis parcerem, ab hac omni consideratione prohibitis.

[40] Qui multum michi maior priore stupor incidit! Nam si id seni, ut aiunt, elementario diceretur, equo animo pati possem: ‘Senuisti: iam vicina mors est, age res anime’. Intempestivum senibus amarumque negotium literarum, si novum atque insolitum proponatur; sin una senuerint, nil dulcius. [41] ‘Seram hanc igitur tibi curam linque; sine Musas Eiconias fontemque Castalium; multa puerum decuerant que dedeceant senem. Frustra niteris: torpet ingenium, memoria labascit, oculi caligant omnesque corporei sensus hebent novoque iam fragiles sunt labori. Memento virium et metire quod aggredieris, ne irritis conatibus mors irrumpat. Fac potius quod semper benefit, quodque, cum omni etati sit honestum, necessarium est extreme’. [42] Hec, horumque similia, inchoanti seni quidni graviter ac magnifice dicerentur? Docto autem suumque iam habenti, cur dicantur, nescio. Ecce: ‘iam morti proximus, linque seculares curas, pelle reliquias voluptatum, malas fuge consuetudines, reforma animum ac mores in Deo placitam

novitatem; et renascentia vitia, que hactenus abscindebاس, radicitus nunc extirpa, in primis avaricie studium, quod senibus cur annexum ac peculiare sit miror. Hoc unum stude et hoc cogita, ut paratus, ut securus ad extremum venias'. Optime, inquam, prudenterque! [43] 'Linque literas', seu poeticas seu quascunque alias, in quibus tyro iam non sis, sed emeritus veteranus, in quibus quid tenendum, quid respuendum tibi sit, noveris, in quibus denique non iam labor, sed oblectatio vite sit iucunditasque reposita: hoc certe quid sit aliud non video, nisi auferre solatium ac presidium senectuti. [44] Quid vero siquid tale Lactantio dictum esset? Quid, si dictum et creditum Augustino? Dicam quod in animo est: neque ille tam valide peregrinarum superstitionum fundamenta convelleret, neque iste *Civitatis Dei* muros tanta arte construeret, aliquantoque ieiunius Iuliano atque aliis pari impietate latrantibus responderet. [45] Quid tandem si Ieronimo, quamvis id ipse dictum memoret, et, quod credi vult, etiam vigilanti? Quid vero, si poeticis, si philosophicis, si oratoriis, si historicis semper literis abstineret? Nunquam ille Ioviniani et hereticorum calumnias reliquorum tanta persuadendi facilitate contunderet; nunquam Nepotianum sic vel vivum doceret, vel defunctum fleret; nunquam denique epystolas ac libellos suos tanta orationis luce perfunderet. [46] Ut enim a veritate verum, sic artificiosum atque ornatum dicendi genus unde, oro, nisi ab eloquentia requirendum est? Quam poetarum atque oratorum propriam esse nec Ieronimus ipse negavit et est notius quam ut probari egeat.

[47] Non discurro per singulos, sed, ad summam, non intelligo quid iis studiis non dico senem imbui (nichil enim bene fit quod non etiam tempore suo fit), sed a puero haustis uti sobrie vel in senectute prohibeat; scientem — dico — quid ex his ad rerum notitiam, quid ad mores, quid ad eloquentiam, quid postremo ad religionis nostre patrocinium trahi possit, quod fecisse illos maxime videas, quos

proxime memoravi; [48] nec ignarum preterea quid Iovi adultero, quid Mercurio lenoni, quid homicide Marti, quid predoni Herculi, quid demum, ut innocentiores attingam, Esculapio medico, quid patri eius Apollini cythariste, quid Vulcano fabro, quid textrici insuper Minerve, contraque quid Marie Virgini Matri, quid eius Filio redemptori, nostro vero Deo veroque homini debeatur. [49] Quod si ideo poetas fugimus ceterosque quibus inauditum et ob id tacitum Cristi nomen, quanto periculosius videri debet hereticorum et nominantium Cristum simul et oppugnantium libros legere? Quod tamen studiosissime faciunt vere fidei defensores. [50] Crede michi: multa que tarditatis et ignavie sunt, gravitati et consilio tribuuntur. Sepe despiciunt homines que desperant propriumque et suum est ignorantie ut, que nequiverit apprehendisse, condemnnet et, quo ipsa non valuit, neminem cupiat pervenire: hinc de rebus incognitis obliqua iudicia, in quibus non cecitas magis ipsa iudicantium quam livor emineat. [51] Non sumus aut exhortatione virtutis aut vicine mortis obtentu a literis deterrendi, que, si in bonam animam sint recepte, et virtutis excitant amorem, et, aut tollunt metum mortis, aut minuunt. Ne, deserte, suspicionem diffidentie afferant, que sapientie querebatur! Neque enim impediunt litere, sed adiuvant bene moratum possessorem viteque viam promovent, non retardant. [52] Quodque in cibis evenit, ut multa que nauseantem atque imbecillem stomachum pregravent, validum atque esurientem bene nutrit, id in studiis accidit, ut acri sanoque ingenio sint multa salubria, que pestifera sunt infirmo, si presertim utrobique vis discretionis affuerit. [53] Quod nisi sic esset, non illa pertinax ad extremum tam laudata foret industria multorum, preter enim quod Cato latinas literas iam senescens et grecas vero iam senex didicit; quod Varro ad centesimum vite annum, legendo semper ac scribendo, perveniens, vitam prius quam amorem depositus studiorum; quod Livius Drusus senio ac cecitate confectus iuris

civilis interpretationem utilissimam rei publice non omisit; [54] quod Appius Claudius iisdem pressus incommodis eadem fuit perseverantia; quod Homerus apud Grecos idem passus, idem prestitit alioque rerum licet in genere, par industrie genus exhibuit; quod Socrates iam senior musice operam dedit; [55] quod Chrisippus ceptum iuventute media opus acutissimum ultima vix explicit senectute; quod oratorium Ysocrates, tragicum Sophocles, volumen utrumque nobilissimum, ille quartum et nonagesimum, hic prope centesimum agens annum scripsit; [56] quod studii amor ingens et Carneadem senem cibi et Archimedem vite reddidit negligentem; quod Cleantem apud illos amor idem cum inopia primum, post cum senio, apud nos Plautum compulit cum paupertate simul ac senectute luctari; quod Pithagoram, quod Democritum, quod Anaxagoram, quod Platonem per omnes terras perque omnia maria, periculorum immemores ac laborum, non habendi, ut multos, sed discendi ardor impulit; [57] quod Plato ipse senex, supremo eodemque natali suo die vel literis incumbens, vel, ut alii volunt, scribens, philosophie amicum spiritum exalavit; quod Philemon meditabundus ac libro incumbens, sociis illum expectantibus, pyeriam animam emisit, etsi de hoc alia ridiculous fama est; quod ad extremum, is qui persepe michi nominandus occurrit, Solon, semper novi aliquid addiscens, senuit atque obiit nec generosum discendi desiderium mors extinxit.

[58] Preter hec igitur et que sunt id genus innumerabilia, nonne et nostri omnes, quos imitari optamus, vitam omnem in literis consumpserunt, in literis senuerunt, in literis obierunt, ita ut eorum quosdam legentes aut scribentes ultimus dies invenerit? Neque ulli unquam — quod audierim — preter unum, quem dixi, Ieronimum noxe fuit disciplinis secularibus floruisse, cum multis fuerit glorie, nominatim tibi. [59] Nec me fallit laudatum a Gregorio Benedictum, quod incepsum studium, solitudinis et propositi rigidioris amore,

deseruit. At non ille poeticas, sed omnes omnino literas neglexerat. An vero laudator suus, idem si tunc faceret, laudaretur? Minime arbitror. [60] Aliud est enim didicisse quam discere aliterque puer spem quam senior rem, ille impedimentum, hic ornamentum, ille laborem et querendi studium anceps, hic laboris fructum certum, delectabilem et quesitum studio preciosum thesaurum literarum abicit. [61] Quid expectas? Scio multos ad sanctitatem eximiam sine literis pervenisse; nullum literis hinc exclusum scio etsi audio Paulo Apostolo quesitam literis insaniam exprobrari. Quam iuste autem mundo notum! [62] Quin potius, si de proprio loqui licet, ita sentio: planum forsitan, sed ignavum iter per ignorantiam ad virtutem. Unus est finis omnium bonorum, multiplices autem vie eodemque tendentium multa varietas: ille tardius, hic ocius, ille obscurius, hic clarius, ille depressius incedit, hic altius. Quorum quidem omnium peregrinatio est beata, sed ea certe glriosior que clarior, que altior, unde fit ut literate devotioni comparabilis non sit, quamvis devota, rusticitas, nec tu michi tam sanctum aliquem ex illo grege literarum inopem dabis, cui non ex hoc altero sanctiorem numero obiciam. [63] De his autem, cogente materia, quoniam sepe michi necesse fuit ut loquerer, te amplius hodie non morabor. Qui si cepto heres, ut studia hec, que pridem post tergum liquimus literasque omnes — quantum innuis — ac, distractis libris, ipsa etiam velis literarum instrumenta proicere atque ita undique persuasum tibi est, gratum, hercle, habeo me librorum avidum, ut tu ais (ego non infitior, ne, si negem, scriptis ipse meis arguar), in hac emptione omnibus tuo iudicio prelatum. [64] Et quamvis ipse rem meam videar empturus, nolim tamen tanti viri libros huc illuc effundi aut prophanis, ut fit, manibus contrectari. Sicut igitur nos, seiuncti licet corporibus, unum animo fuimus, sic studiorum hec supellex nostra post nos, si votum meum Deus adiuverit, ad aliquem nostri perpetuo memorem pium ac devotum locum simul indecerpta perveniat. Sic enim statui, ex

quo ille obiit quem studiorum meorum speraveram successorem.  
[65] Libris autem precia statuere, quod tua michi prebet indulgentia, non possum, quorum nec nomina certe nec numerum noverim, nec valorem. Tu michi per literas rem digere, ea lege ut, si quando tibi forsitan in animum venerit mecum has quantulas cuncte temporum reliquias agere — quod et ego semper optavi et tu aliquando politus videbare — et eos ipsos et hos non minus tuos, quos modo convexit, sic simul invenias, ut detractum nichil tibi, sed non nichil tibi sentias accessisse. [66] Extremum sit ut, quod te multis, inter quos michi, pecunie debitorem facis, pro me negem mirerque quisnam hic supervacuus — ne ineptus dicam — conscientie tue scrupulus. Possum tibi torrentianum illud obicere:

Nodus in scirpo queris.

Nichil michi debes nisi amorem, sed nec illum debes, quem pridem, fateor, bona fide integerrime persolvisti, nisi forte ideo quia, quod semper accipis, semper debes, sed et quod solvis continue, nunquam debes. [67] Nam ad id quod, ut sepe olim, de inopia quereris, nolo tibi consolationes, nolo pauperum illustrium nunc exempla congerere: nota sunt tibi. Quid ergo? Clara euidem semperque una voce respondeo: laudo quod, me magnas licet seras tibi divitias procurante, libertatem animi quietamque pretuleris egestatem; quod amicum totiens te vocantem spreveris, non laudo. [68] Non sum qui ditare te hinc possim, quod, si essem, non verbo, non calamo, sed re ipsa tecum loquerer. Sum vero cui uni tantum suppetit quantum abunde sufficiat duobus unum cor habentibus atque unam domum. Iniuriosus es michi, si fastidis, iniuriosior, si diffidis. Vale.

Patavi, V Kal. Iunias.

**Ad Franciscum Bruni**

*Ad Franciscum Bruni rethorem florentinum, contra immodicam amici laudem, vera sue parvitatis expressio.*

[1] Suavis michi, vir insignis, epystole tue odor gustusque suavior, si de alio scripta esset; nunc cum suavitate verecundiam ac ruborem attulit, illis me preferens, quorum ydoneus utinam sim mirator. Illudi metuerem, nisi notissime virtutis ac fidei tue candor obstaret. Te potius errare crediderim quam me falli: habet enim illud excusationem benivolentie plenam, hoc reprehensionem amicitie alienam. [2] Ceterum, ne sub tanto non mearum laudum fasce multiloquus sim — fatigatio enim est amica silentio — hoc unum modo dicturus fuerim: rem tuam quanti vis precii facere tuum est, sed — michi crede — sic extimans, terribis emptores. Respondebis: non est michi venale quod laudo. Credo equidem. Nemo autem te rem parvam equis auribus audiet sic laudantem. [3] Ut invidie mee, ut extimationi tue consulas, quod est dicito, minus quoque, siquid minimo minus est. Pudet strictim attingere quod te ubertim copioseque disserere ne puduerit, prestringens oculos, amor fecit. [4] Tu me oratorem, tu me historicum, tu philosophum, tu poetam, tu me denique theologum facis; quod non faceres nisi sic esse tibi persuasum esset ab illo cui non credere magnus est labor: amorem dico. Quo nunc forsan veniam merebaris, nisi me claris oneratum titulis ad extremum maximis, et quibus conferri non mereor, etiam pretulisses. [5] Ego vero, amice, ut intelligas quantum vel opinione mea vel re ipsa ab hac sententia tua absim, horum omnium, que michi tribuis, nichil sum. Quid ergo? Scolasticus. Et ne id quidem, sed silvicola, solivagus inter aerias fagos, nescio quid insulsum strepere solitus — queque presumptionis et audacie summa est —

acerba sub lauro fragilem calatum attingere, non ut fervens operum, sic et felix eventuum, amantior quam ditior literarum sum, sectarum negligens, veri appetens. [6] Quod quoniam quesitu arduum, ego, quesitor infimus atque infirmus, sepe diffidens mei, ne erroribus implicer, dubitationem ipsam pro veritate complector. Ita sensim achademicus advena, unus ex plurimis inque humili plebe novissimus, evasi, nil michi tribuens, nil affirmans dubitansque de singulis, nisi de quibus dubitare sacrilegum reor. [7] En tuus ille Hippias in conventu olim philosophico cuncta profiteri ausus tecum nichil preter inquisitionem veri anxiam preterque dubietatem atque inscitiam profitetur. [8] Iamque illustris Pandolfi testimonium ad tue multum diverse sententie robur trahis. Quam validum sit agnosces, si non, que in illo summe sunt, dignitatem scilicet virique virtutem libraveris, sed affectum: nempe, si iudicium verum queris, liberum tribunal, liber querendus est animus. [9] Non est autem liber animus, cui amor imperat. Nil tu magis amatori credideris, quam osori: errat alter honestius, in iudicio pares sunt. Crede ergo illi intrepide de republica, crede illi de re bellica, de militaribus artibus multoque maxime de ducis imperio, de fortitudine, de providentia, de severitate, de clementia, de patientia laborum, de constantia, de magnanimitate, de gloria, de ingeniis quoque aliorum plusquam militariter. [10] Cum ad me unum sermo descenderit, quere, cui credas, alium. Hic plurimos iam fefellit; huic ego, si nescis, mei usque ipsius in miraculum, carus sum nullis quidem meritis. Sed generosa mens amore alitur, gratis amat: is cibus, ea voluptas, id sibi solatum. [11] Putabam calatum frenare, sed rapior neque, hinc preconiis tuis pressus, hinc occupationibus meis fessus, possum quiescere quominus longiusculam historiam literis inseram dicamque quod tu quoque mecum stupeas.

[12] Multos quidem ille vir per annos, antequam me videret, loquacitatem fama excitus, pictorem non exiguo conductum, nec

paucorum dierum spatio, misit ad locum, qui ea me tempestate incolam habebat, ut is sibi in tabellis exoptatam ignoti hominis faciem reportaret. Quod cum, me inscio, factum esset, longo post tempore, gravi bello turbatis hunc Italie rebus exigente, Mediolanum venit ubi tunc eram. Et licet variis undique motibus periculisque distractus, quibus unum caput minime suffecturum dices, nichil tamen prius habuit, nichil antiquius, quam ut vultum cerneret cuius vidisset imaginem. [13] Mitto que a properante dici nequeunt: quotiens per id tempus ad me quamque familiariter vir tantus et tantorum exercituum ductor accesserit, quam cupide quamque ex equo cum tanto inferiore versatus sit, ut demum, gravi egritudine liberatus, quam sibi et ardentissimo sub sole acta estas hiemsque sub nivibus et immodicus belli labor cureque pepererant, cum se nondum suis pedibus ferre posset, famulorum nixus humeris, me petiit, quem per totum tempus egritudinis ad cubiculi sui spondam diebus singulis vidisset, sed iucundius inter libros, ut aiebat, sede velut in propria revideret. [14] Quam tantam tamque heroicam viri illius humanitatem e memoria mea nec fugaces ferent anni, nec immemor Lethes toto gurgite diluet. Denique victor in patriam, confecto bello, multa cum gloria, reversurus, quod neque pictor primus votum eius implesset et mutata annis esset effigies mea, alterum adhibuit, unum quidem ex paucissimis nostri evi pictoribus, adhibiturus Zeuxim aut Prothogenem aut Parrhasium aut Apellem, si nostro seculo dati essent. [15] Sed omnis etas contenta suis ingenii sit oportet. Misit ergo quem potuit: magnum prorsus artificem ut res sunt. Qui, cum ad me venisset, dissimulato proposito, meque lectioni intento, ille suo iure assidens — erat enim michi familiarissimus — nescio quid furtim stilo ageret. Intellexi fraudem amicissimam passusque sum nolens ut ex professo me pingeret, quod nec tamen omni artis ope quivit efficere. [16] Sic michi, sic aliis visum erat: cur, si queris, nescio; nisi quod sepe vehementius tentata succedunt

segnius et nimia voluntas effectum necat. Eam tamen ipsam imaginem tantus ille dux secum tulit interque delicias habuit, ob hoc unum quod meo saltem nomine facta esset. I nunc et sic affecto meis in laudibus fidem habe. [17] Hec tam multa iniquissimo loco ac tempore ut scriberem coegit illius recordatio, tui cura ut agnosceres illum valde amare teque non minus, si illi credideris, errare. Sit hoc primum amicitie mee pignus: falsis amici animum opinionibus absolvisse. Bona fide quid sim quid ve non sim dixi. [18] De me michi potius crede, quam alteri: nulli enim profundius notus sum, qui, etsi me amem, amo tamen veritatem hac in parte michi notam, adeo ut vix magis me pudeat contra illam loqui, quam loquentibus vel in silentio consentire. Sileo tamen interdum non assensu aliquo, sed vel contentionis odio vel loquendi tedio. [19] Nunc ne silere potuerim: hinc importabilis laudum moles, illinc eloquentie rarus splendor in causa est. Deliniri fortasse aliis etsi me omnes absolverent, ipse michi reus atque inexcusabilis visus sum, si tam copioso tamque artifici laudatori me tacitum prebussem. [20] Veni igitur in certamen hac una de re cum illo, cui in reliquis omnibus consentiens atque unanimis esse velim, laudari, fateor, nonnunquam ab aliis solitus, sed non ita. Unde est ut nullum unquam tale duellum cum amicis habuerim, nil tale, quod sciam, fecerim quia nec tale aliquid passus sum. Tu deinceps ama, ut facis, incorruptius iudica. [21] Postremo autem, quisquis sim quamlibet vel tardus ingenio vel hebes iudicio vel fuscus eloquio, omnium pene incertus atque hesitans, sum tamen — ut arbitror, nisi hoc ipsum falso michi arrogo — in amicitiis satis constans. Non de perfectis illis loquor atque rarissimis ad quas virtute opus est multa, quarum per pauca ex omnibus seculis paria memorantur, ut nosti, sed de iis aliis quas mediocritas mea fert, in amandi actu, ut est animus, cessurus nemini, cunctis in rebus aliis, cedens multis. [22] Proinde quemcunque vel tua sibi me caritas finxerit vel veritas ipsa me fecerit amicum, scito: quod

tibi politus sum, ne dubita, fixum est; sic tua meretur virtus, sic mea exigit natura, sic nostre bonus amicitie sponsor iubet. Id tibi non delphico, sed celesti oraculo dictum crede et vale, quoniam non nisioris meminisse non potes, memor saltem nostri nominis.

7

### Ad Franciscum Bruni

*Ad eundem, vite finem proximum et incertum, fugam mortis nullam esse et astrologos multa mentiri.*

[1] Quod me ad fugam mortis hortaris, gratum habeo: neque enim id faceres, nisi — contrarium mortis hoc est — vitam amares meam. Amas igitur quem non nosti, dicam verius, non vidisti. Nimirum! Si non nisi que vidimus amaremus, nemo Deum, nemo suam animam amaret — plus dicam — nemo fratrem, nemo filium, nemo amicum, quos, dum cernere credimus, non eos, sed eorum domos et — hoc quo dicam verius — illorum videmus ergastula. [2] Profecto enim que corpora dicimus, vincula sunt, que nisi solubilia nobis ac fragilia contigissent, eterna erat humana calamitas. Unde Plotini illud iure laudatur qui, de Deo atque hominibus loquens: «Misericors», inquit, «Pater mortalia illis vincula faciebat». [3] Sed redeo ad caritatem tuam. Nempe ut in se amicum id quidem fraternumque quod de me cogitas, sic, si ad naturam rei aspicias, inane: nulla est enim mortis fuga, imo vero persepe accedit ut fuga mortis esset ad mortem fuga. [4] Itaque nil melius, nil tutius quam, inter desiderium mortis ac metum, nec anticipare nec detrectare quicquid erit quod superne iubeamur, memores senis illius, multis malis exerciti, sed ex arce patientie non deiecti, qui, cum Deo loquens: «Vocabis», inquit, «me et ego respondebo tibi». [5] Observemus et nos revocatorem nostrum, ne aut tergiversatio aut precipitatio sibi nostra displiceat. Nam ut

vocanti Domino non respondere superbia est, sic non vocanti respondere dementia. Equa vanitas est mortem nimis vel metuere vel optare: alterum ignavie est, alterum impatientie, illic metus inefficax, hic votum supervacuum. [6] Frustra metuitur quod vitari nequit, frustra optatur quod mox aderit. Simus forti animo ac tranquillo. Nichil minus viri est quam metus, nichil minus quam perturbatio sapientis. Ex quo die nati sumus et pericula nobis et tedia undique et labores et laquei, que cuncta iam pridem viris provisa esse debent, si non sunt. Quem circum, quam palestram, quod certamen ingressi simus atque omnino quem in mundum venerimus, ignoramus? [7] Ianitor nos fefellit, nisi patienda omnia predixit in limine. Hominem se non novit, qui se humanis casibus nescit expositum et nature mortalis obliviscitur qui de morte non cogitat, horisque illam et locis omnibus non expectat. Hec sors nostra est, quam flere licet et conqueri, quod totis voluminibus docti homines fecere et ego ipse non parvis epystolis olim feci, sed nil fletu proficitur aut lamentis: adamantine leges rerum sunt. [8] «Semel locutus est Deus» dixitque semel nascentibus Autor quicquid scire licet et que Ille dixit fixa sunt omnia. Nam ut vatum aliud quidam ait:

Grave et immutabile sanctis

pondus adest verbis et vocem fata sequuntur,

et profecto si a fando fatum dicitur, quod non huic tantum, sed sacris quoque doctoribus atque Augustino precipue visum scio, fatum nostrum, si hoc nomine uti liceat, non in stellarum motibus, sed in Dei verbis ac providentia situm est, seu securis igitur, seu timidis accidet quod natura, quod Deus rigido sanxit edicto. [9] Moriendum esse nemo dubitat; quando, ubi, qualiter horum dubietas multa est, ut est ferme omnium futurorum, neque dubietas modo, sed inscitia, sed caligo profundissima atque densissima, quam acies nostra non penetret. Quid hic opus aruspice? Quid torquetur astrologus? Quid insudat curiositas vana matheseos? [10] Quos etsi verbis accendi

posse, non corrigi plane norim, de successu desperans, sepe tamen sic aggredior: ‘Sinite, o insani, sinite sidera cursus suos agere. Sive enim nichil in nobis agunt astra, sive nichil nobis indicant, sive horum nichil a nobis intelligitur, e quibus unum saltem verum esse, si nil aliud, vestra utique mundo indicant mendacia, quodlibet eligite: eligere enim aliud non licet. [11] Stulte de re nulla, frustra de re inaccessible disputatur. Quid ergo mendaciorum mole nos obruitis? Fessi sumus audiendo, fessi expectando, cum nichil eveniat omnium que, velut consopiti, ebrii, murmuratis, nisi rarum forte aliquid atque fortuitum verum, qualia etiam aliquando mentiri volentibus elabuntur. [12] Nemo enim, quamvis velit, falsa omnia loqui potest: sepe invitis labiis mendaci de pectore veritas prodit. Et vos quidem vero unico casu elapso inter mille mendacia superbitis, cum honesti animi mille inter vera unico mendacio erubescant. Dicite nobis ante factum certi aliquid ac, ne fortuitum videatur, vero uni alterum addite. [13] Cur vel post factum vaticinia vana configingitis vel fortune veri nomen datis? Quid celum frustra, quid terram, quid homines fatigatis? Quid ineptissimis legibus vestris lucida astra subicitis? Quid nos liberos natos insensibilium siderum servos vultis efficere? O ridiculosa protervitas et impudentia inaudita! [14] Cum ab iis, quibus humanum genus venditis, nichil omnino, ab iis stultis ac miseris, qui venduntur, precia vultis, exposcitis, extorquetis. Miri contractus, nove nundine! Sed cum ignaris presentium atque preteritorum nilque nisi futura nosse volentibus, que sola nosci nequeunt, prosper et facilis ludus est vester; doctiores prestigia vestra rident. [15] Nam quid nobiscum Mars aut Venus, quid Iupiter aut Saturnus? Quid nomina quidem abdicata renovatis nosque vel errore impio vel nautica ruditate sic licenter illuditis? Quorum animas Tartarus habebat ad celum translata sunt nomina ab iis qui mox illos ad inferos secuturi erant. [16] Nos, quibus celum promittitur, in iis nominibus spem ponemus? Nisi forte illud autenticum magis quod

nauta tunc stellis numeros et nomina fecit,  
ut ait Maro, sed profecto non illa que diu ante ficerat «Is qui numerat multitudinem stellarum et omnibus eis nomina vocat». [17] O felix, si quis est, cui repositum sit illa cognoscere! Erit is michi verus quidem ac preclarus astrologus, non Ptholomeus, non Archimedes aut Iulius Firmicus, sed altior multo certiorque. Proinde hec nominum mortalis inventio, impietati supplicium, navigationi presidium, vite nostre neque presidium potest esse, neque supplicium debet. [18] Quid incassum malefici laboratis? Cum vulgo, ut libet; nos adversus vestras insidias experrecti intentique et armati sumus. Vultis et nos numeris vestris ascribere, ut vobiscum simus, ex illorum grege, quibus per Sophoniam Dominus comminatur, «qui adorant super tecta militiam celi», quod ibi sic exponitur, solem scilicet et lunam et cetera, qui elevantur contra scientiam Dei, quicquid in mundo geritur ad ortum et occasum stellarum referentes, «qui iurant in Domino et in Melchom», qui duobus scilicet dominis volunt placere, Deo et mundo, quod nullo pacto propter dominorum discordiam fieri potest. [19] Nos autem, sub tecto clausi pii pectoris, non celi militiam, sed ipsum celi Regem adoramus Omnipotentem, scilicet Deum Patrem et Filium Eius Unigenitum Iesum Cristum crucifixum et Sanctum Spiritum Paraclitum a Patre et Filio procedentem, unum hunc trinumque Deum colimus. Illi fidimus, in Illum credimus, in Illo, non in alio iuramus. [20] Quid externa superstitione nos involvitis? Illi obsequimur, qui creavit nos et creatos regit celumque simul ac stellas et creavit et regit, neque magis in nobis aut creandis aut regendis stellarum ope, quam in stellis nostro eget auxilio. Siquid loci esset in nobis alterius potestati, illam pariter cultu debito coleremus; nunc nil alteri nos debere cognoscimus. [21] Siquid in nobis est boni, ab Illo est; quicquid autem mali non ab alio quam a nobis. Alioquin penale non esset quod aliunde procederet. Nolite igitur creatorem et creatu-

confundere. Denique si errorem demum elegistis, viam linquite veritatis ac vite ad Illum aspirantibus, qui «est via, veritas et vita». [22] Ceci siderum miratores, ac siderum viles servi — quodque est mirabilius — proxenete et captivandarum artifices animarum, quo pergitis, quid intenditis? Quid nobis aut igneos globos instabiles aut mortuos peccatores dominos procuratis? [23] Iove maior, sed vel non notus vobis, vel non creditus nec dilectus, celum volvit ac temperat et suum orbem ipse opifex moderatur. Illi canitur et non Iovi: «in manibus tuis sortes mee». [24] Potestis in animum inducere ut, neglectis fulgoribus qui, si per se extimantur, oculos mulcent execantque animas, ad Illum attollatis ingenia de quo scriptum est: «in lumine tuo videbimus lumen», et incipiatis aliquando credere quod Iupiter vester nichil, Cristus noster potest omnia, quod sol et luna lucent oculis, horum conditor menti lucet? Quid illam incorpoream ac divinam ad corpora quamvis clara reflectitis? [25] Stupetis forsan hec lumina celum ipsum diesque et noctes ornantia, et mundo, si iis sane uti norit, utilia? Sed erectam atque alta spectantem animam interior lux delectat, in quam versi sortilegiis non egemus et his falsis vatibus credulorum arculas auro vacuantibus ac vero nugis aures, errore animos atque horrore complentibus, presentemque vite statum futuri pollicitatione turbantibus. [26] Hec, amice, adversus hos nugatores, non tantum michi, sed Christo et in Illum credentibus odiosos, atque his similia et sepe dixi et nunc, ut mirari desinas, — his eisdem, quibus honestissimam hanc urbem vacuam sperabam, per hos dies preter spem, obsessus ac vexatus, — quasi illos alloquerer, pene tui oblitus, dixerim, pauca licet ex multis, plura tamen, quam hoc tempus posceret aut he caperent angustie, nisi animi calor, heri et nudius tertius, loquendo conceptus, scribentem nunc etiam inflammasset. [27] Ad rem redeo. Siquis est igitur quem adhuc ista solicitent quique, futuri anxius, Regi seculorum, cui debet omnia, parum fidat, avium se nocturnumque

iter agere sine lumine noverit, divinumque illud Flacci carmen audiat:

prudens futuri temporis exitum  
caliginosa nocte premit deus  
ridetque, si mortalis ultra  
fas trepidat.

[28] Confidamus, o solicii mortales, neque trepidemus, ne trepidationem nostram et nos rideat — quodque gravissimum est — oderit Is a quo amari una certa felicitas est. Quiescamus, moderemur curas, querimonias compescamus et providentissimi ac clementissimi ducis imperium prestolemur taciti, quin potius occurramus expeditique atque alacres festinemus. Non ad nos mors venit, nos ad illam imus. [29] Non fortuito ait Maro:

stat sua cuique dies.

O! quid ait: «dies stat»? Nos currimus et, dum fugere dumque subsistere nitimur, volamus quo cum pervenerimus, dies illa nobis amplius non stabit, sed et ipsa cum ceteris, quasi quod expectabat nacta, diffugiet. [30] Nisi sit aliquis fortassis cui contrarium videatur, propter id quod de peccatore scriptum est in Psalmo: «Dominus irridebit eum quoniam prospicit quod veniat dies eius» et, alio loco: «Iuxta est dies perditionis et adesse festinant tempora». [31] Sane supervacua disceptatio verbi est, ubi de re convenit. Loquendi morem preferat quisque quem volet, dum meminerit diem hanc, vicinam vel stantem, adeundam magno animo vel ad nos venientem festinantemque pari animo expectandam. [32] Utcunque autem inperterritos adimplesse non sufficit, letos decet, meque ante alios quem iam nichil aut modicum hic delectat, qui premissis fere omnibus, letam michi vitam facere solitis, totiens laudatam solitudinem et in terris iam supervacuas moras odi, ac fortasse brevissimas: forte enim hoc ipsum quod loquimur prope est. [33]

Quid vero rem certissimam in dubio ponimus? «Iuxta» dicere volui cum Psalmista. Prope enim esse quis dubitet? An quod hoc iter intrantibus nunquam longe fuit, progressis elongabitur et quod mane prope erat, eo raptim sine intermissione pergentibus procul erit ad vesperam? [34] Fieri potest, neque, si fiat, mirum erit aut insolitum, ut quod varia spe in longum trahimus, hoc ipso futurum die sit. Et quis novit an, quod humanis in rebus pessimum suspicamur, simus optimum reperturi, ut, quod valde timuimus, non modo timuisse nos pudeat, sed etiam non sperasse, cum errorum nebulas discussura dies illuxerit cumque in lucem illam exierimus, a qua fusco nunc carcere prohibemur? [35] Et de his horumque similibus, ut ipse ais, per me multa, sed tamen multo plura per alios dici possunt. Que nec tempus patitur, nec locus et ego satis hodie evagatus sum. Unum hoc tibi tueque solicitudini notum velim: me aliam licet ob causam iam implesse quod mones et pridem Patavio, ubi pestis invaluit, digressum Venetias petiisse, non ut mortem fugiam, sed ut queram siqua in terris est requies. Vale.

# Liber 2

## 1

### Ad Iohannem de Certaldo

*Ad Iohannem de Certaldo, obiectorum stilo criminum purgatio.*

[1] Aut tacere oportuit aut latere, seu verius non nasci, ut scilleos evaderem latratus. Non est ludus in publicum prodire: validi canes dente, voce seviunt invalidi; illinc discrimin, hinc tedium. Utrunque silentio ac latebris vitare consilium erat; tulit me rerum estus quo nolebam. Iam conspectus in populo digitis notor eorum hominum, quibus ignotum esse prima pars glorie est. Non sum Scipio quem noctu in Capitolium ascendentem nunquam canes latraverunt; sic de illo enim scriptum memini, quamvis id vel medicamento fieri posse vel carmine quidam putent. Me quocunque luce media incedentem plebeia canum turba circumstrepit; quo me vertam omnes talibus vici scatent. Neque vero tam verear generosos: rari sunt enim, nec facile irruunt iniussi. Isti autem innumerabiles, inquieti, rauci quique quos morsu nequerant tedio agitent immortali. Eleganter Anneus, tale aliquid et ipse perpessus, «sicut» inquit «ad occursum ignotorum hominum minuti canes, latratis»; vere et minuti illi, et ego eis, etsi non invisus, incognitus sunt. Sunt canes quidem pre timore vel latrare soliti vel mordere. Nullus hic timor talis; nam neque Theoninis ego sum dentibus et illis, ne morderi possint, mira arte consultum est tacitis semper semperque latentibus. Nec attendunt quante sit impudentie quanteque superbie iudices aliorum fieri velle qui sui iudices alios fieri nolint. Profecto equidem vocis sui iudices non admittit, qui obstinato silentio vocem premit. Novum genus!

imo antiquum, nec michi soli ultimo hominum, sed primis ac maximis importunum, ante alios Ieronimo qui, de his ad amicos scribens, «librum» inquit «non efferatis in publicum et ne fastidiosis cibos ingeratis vitetisque eorum supercilium, qui iudicare tantum de aliis et ipsi facere nil neverunt»; quamvis id ipsum satis illos iudicet, ut opinor, quodque ad tegmen inscitie meditantur ad inscitie vertitur argumentum et quo se maxime tegunt produnt, quia dum taciti iudicia hominum declinant tacito doctorum hominum iudicio condemnantur; si hos tamen ille vir timuit et vitandos monuit, quid michi quid ve aliis peragendum putas? Evidem horum ego non tam metu quam odio ac contemptu et ne prurientibus linguis scalpendi materiam atque instrumenta congererem, sepe me monui, sepe amicos: me ne novi aliquid scriberem, alios ne, sequid forte iam scripseram, in apertum educerent. Non habeo quod de aliis querar; ipse michi non parui. Quem si scribendi tantus ardor accenderet, scriberem ac delerem et, quando ea mens erat, ex literis voluptatem capiens, morsus ac latratus invidie declinarem. Idque sic forsitan factum esset, nisi quod me, ut ad scribendum celerem delectatio, sic segnem ad delendum misericordia faciebat: miserebar innocue novitatis — durum mactare quem diligas! —; ipse michi propriis manibus videbar in meam hoc est ingenii mei progeniem seviturus. Et sevi tamen, ut Abraham in filio celi Deo sic ego in scriptis sacrificium, ut poetice magis hoc quam catholice dixerim, Phebo gratum ratus ac Palladi, simul multum protervie multumque libidinis latratoribus meis demptum iri extimans. Et si quissem vel nil scribere vel scripta perurere, perpetuam illis raucedinem michi requiem peperisset; sed nequivi. Rursumque si reliquias lime severioris abdere potuisse, vivus saltem quievisset; sed nec id ipsum potui, ut qui amicis nil occultare didicerim nil negare. Hinc michi fastidii prima radix.

[2] Unum de multis audies: ante annos plurimos, dum post obitum summi regis a romano pontifice missum me Neapolis haberet, atque inter expectationis tedia oportunum ac dulce remedium Barbatus meus Sulmonensis illic esset, vir omnium literarum cupidissimus, mearum vero tam immodice ut in illis non rerum pondus non verborum gratiam nil postremo querat aliud nisi an mee sint — sed ne id quidem, sic illarum sibi eminus vel odor ipse notissimus est —, neque michi per id tempus absque illo dies ullus ageretur, accidit ut in *Africa* mea, que tunc iuvenis notior iam famosiorque quam vellem, curis postea multis et gravibus pressa consenuit, aliquot illi tali amico versiculi placuissent. Quos palam poscere veritus, nemo namque verecundior nemo reverentior amicorum atque imprimis mei, submisit qui illos muneric instar ingentis supplici prece deposceret. Negavi contra meum morem et intempestivum desiderium libera caritate redargui. Erubuit quievitque tantisper, atque oravit imperioso ut parcerem amori; nec secius die altero atque altero adhibitis intercessoribus institit importunitate prorsus ingenua ac modesta: tenera quidem frons pudorque purpureus mearum duritiem repulsarum ferre non poterat, semper igitur illo absente substituti aderant: est quidem quisque pro alio quam pro se honestius importunus. Iam, ut arbitror, finem tenes. Negavi quantum illesa quivit amicitia, cumque nullus precandi modus esset, ad extremum victus — nunquam enim cum amicis luctor quin succumbam — cessi et versus nisi fallor quattuor ac triginta, lime adhuc et temporis indigentes, illi amico, cui nil ad ultimum negaturus sim, ea lege concessi ut ad manus alterius non venirent. Ad promittendum prona semper intensa cupiditas, non eque autem ad memorandum tenax, nullam conditione respuit dum optata percipiat: dedit fidem quam eodem ipso die puto fregerit. Sic ex illo vix bibliothecam literati hominis introire michi contigit, ubi non eos versus, quasi epygramma illud Apollinei tripodis templum

subeuntibus obvium in limine, viderim; quorum nativo horro  
scriptorum quoque error accesserat (etsi hec non mea magis quam  
comunis omnium scribentium sit querela). Sic me igitur meus ille —  
ignoscendum, fateor, quod honesti amoris cogit impetus — dum  
laudare dumque quod sibi sum facere aliis clarum studet, sparsit ac  
reprehensoribus multis dedit. Sed non miror; nosco voces, accentus  
intelligo: cives nostri sunt ad aliena temptandum acutissimi atque  
promptissimi, ad reliqua tardiores, nequid mordacius in eos loquar,  
quorum omnia preter mores diligo.

[3] Locus iste digressionem recipit. Fredericum hunc etati nostre  
proximum, qui huius nominis ultimus romanum rexit imperium,  
prudentissimum principem et qui, germanus origine conversatione  
italus, utriusque gentis ad plenum mores et ingenia hinc natura hinc  
consuetudine didicisset, ita dicere solitum accepimus. Esse has duas  
toto terrarum orbe precipuas ac prestantissimas nationes, inter se  
vero perlargiter differentes; utrorunque enim meritis eque premia  
deberi sed supplicium non ita. Nempe utrosque premio ad virtutem  
erigi, verum Italos venia meliores fieri et suum crimen et  
clementiam sui ducis agnoscere, Germanos impunitate tumescere,  
misericordiam imputare formidini, quo plus ignoveris plus ausuros.  
Itaque sepe Italis tuto parci, nec tuto tantum sed utiliter, at Germanis  
penas debitas vel differri magni rem esse periculi; de reliquo Italos  
honorifice habendos, Germanos vero familiariter; hos quidem  
honoribus, illos affectibus et communione gaudere hisque artibus hos  
et illos ad amicitiam et ad fidem trahi. Italorum familiaritatibus  
abstinendum, eo quod et curiosi rerum et in vitiis alienis nimium  
sint acuti, atque omnia iudicent, non modo que vera sunt sed que  
falsa licet opinione conceperint, ita ut quicquid omnino aliter fit,  
quam fieri eis debere videatur, irrideant: tantam enim cuique  
fiduciam sui esse ut ydoneum se cunctorum putet esse censorem.  
Contra autem Germanorum convictui indulgendum nichil in amicis

iudicantium nilque aliud in amicitia querentium quam amari, nec ullum amoris argumentum maius familiaritate credentium.

[4] Hec tam multa dixerim ut videres quid de familiaritatibus nostris deque libidine iudicandi tantus ille vir senserit. Que sententia quam sit vera non dispuo; vere autem hoc michi videor dicturus, si non de Italibus sed e civibus tantum nostris id diceret, nil verius nil gravius dici posse. Quorum non familiaritates aut amicitie sed censure sunt, non ille quidem mites ac placide sed inexorabiles et acerbe; quorum nemo est qui, cum in vivendo sit mollior Sardanapalo, non sit in iudicando multum Fabritio aut Catone rigidior. Et, ut ceterarum rerum ad me minus spectantium iudicia pretermittam, sic de literis iudicant quasi nichil rite dici queat, quod non et capaces ac patulas illorum aures impleat, et leniat asperas, et infensas placeat, et recreet fessas, et delicatas mulceat, et illiceat occupatas: opus vel Ciceroni arduum vel Maroni vel utriusque, quod magis reor, impossibile. Puto non legerint memoriter quod ait ille, cuius non multa quidem sed hoc multum placet: «Improbe facit — inquit — qui in alieno libro ingeniosus est». Quanto autem improbus qui ingeniosissimus in alieno est et scrupulosissimus usque ad fastidium atque odium, in proprio non hebes modo sed mutus, sed elinguis, sed exanimis.

[5] Ego quidem, ut possum, gratulor ingeniis nostris. Pauci illi incomptique versiculi, post Appeninum ad Padum Alpem quoque ac Danubium transgressi, nusquam, quod audierim, reprehensorem nisi in patria repperere. Sed — o ingenia magis acuta quam solida, magis acria quam matura! — qui vos urit igniculus, quod virus inficit, quod calcar exagit? Non tam vobis estuantis Ethne rabies aut Caribdis, non tam trucis pelagi fragor aut tonitrui, quam vestri civis horrifice nomen sonat. Non de me uno enim agitur. Quisquis gregi publico se subducere nititur hostis est publicus. Cur? obsecro. An forte et illud Senece verum est? «Expedit enim» inquit «vobis neminem videri bonum quasi aliena virtus exprobratio delictorum omnium sit».

Crede michi, amice et indignationis huius et iniurie particeps: ex ea urbe nati sumus, ubi unius laus improperium sit multorum, maxime si illorum admoveatur ignavie; unde nullum magis quam suos cives, siquid excellentie sit, oderunt. Quam putas ob causam nisi quod latendi avidos eo molestior quo vicinior lux offendit? Vis ne hoc tibi adero clarum fieri ut nec sol ipse sit clarius? Cogita quot nostra, quot patrum atque avorum memoria et quam gravibus bellis exerciti, cum abunde fortissimos militieque doctissimos viros domi semper habuerint, nunc Cisalpinam Galliam nunc Picenum terrasque alios pro bellorum ducibus adeentes, alienis auspiciis vinci potius elegerunt quam suis vincere. Tantus est pudor suo duce parta prosperitas, ut de se hosti victoriam quam de hoste civi suo gloriam queri malint. Sive is livor, sive est pavor de livore oriens, ne sicilicet virorum virtus illustrium, factis insignibus innotescens, iuxta se positam pandat inertiam. Quem morem nescio quidem unde, sed non utique a Romanis patribus ac fundatoribus nostris accipiunt, ut omnis exotici dogmatis externeque consuetudinis miratores, sic paternorum atque salubrium indociles exemplorum. Iure igitur et romanis victoriis clarorum trophea civium sunt inscripta nominibus, et cladibus nostris alienigenarum infelices ducum tituli atque adventitie pondus heret infamie. O pessima omnibus ex animi morbis invidia, mortem humano generi diceris intulisse necdum desinis! Quid ulterius queris? quid sufficiet tibi, si peremisse non sufficit? O tristis ac misera corporum complexio, sed miseror animorum! Febricitare leonem quotidie fama est — quanquam de hoc ut de aliis maxime peregrinis animantibus multa narrantur inania, et obstet hauddubie huic vulgi sententie quod Aristotilem sequens ait Plinius: quoniam leo videlicet «egritudinem fastidii tantum sentit». Certe medico familiari meo filius adolescens fuit, de quo michi iuratus pater asseruit, de salute illius paterna se pietate solicitum, nullo unquam temporis momento die aut nocte febre

liberum invenisse. Quod an sic esse potuerit phisicis linquo. Sed ut credi possit, perpetuam febrem Mecenati fuisse auctor est Plinius *Naturalis historie* libro septimo. Capram porro nunquam febribus carere, non quisque humilis sed clarissimus longeque doctissimus auctor est Varro *Rerum rusticarum* libro, quam a carpendo *capram*, quasi *carpam*, dici extimat. Sed o invidie gravior febris, o ariditas maior, non herbis pascenda vel frondibus, non umbris aut fontibus lenienda, sed damnis ac mortibus et infamia proximorum. Utinam, sicut in lege locationis excipitur «ne colonus in fundo capra natum pascat», quod Varro ipse sua etate servari solitum tradit hodieque diligens patrum familias cura non neglit, sic natura, parens optima, lege perpetua excepisset ne in suam possessionem viteque commercium humane quisquam invidie filius et livore malo tinctus irrumperet aut bonis communibus pasceretur! Nunc quando omnia pascua his maxime gregibus proteruntur, plantisque nobilioribus avidius infliguntur invidie vulnera, quid nisi glorie indices extimande sunt huiuscemodi dentium cicatrices? Sed quid ego carporibus, quid capellis meis febrientibus et male olentibus ac petulcis faciam? Silentio insultant, responsionibus irascuntur, veri hostes, patientie contemptores.

[6] Iam vero, quod in causis primum est, de accusatorum persona satis multa evaporandi studio dicta sint. Veniamus ad causam. In illa ergo poematis mei parte premature decerpta ac vulgata prepropere mors et mortis querimonia est Magonis peni. Qui, Hamilcaris filius, frater Hanibal, bello punico secundo in Italiam missus cum exercitu, tandem ex vulnere in Liguribus accepto patriam repetens, mari medio ante Sardiniam obiit. Hic accusatores mei, quo me sine invidie suspicione liberius notent, a laudibus incipiunt, carmenque ipsum celo equantes, in se clarum sed a me cui non decuit attributum dicunt. Nec rudis quidem nec insulsa reprehensio, si vera esset. Nichil enim, quamvis graviter dictum diserteque,

reprehensione legitima caritatum scimus, quod dicentis statui moribusque non convenit; imo vero, quo plus eloquentie, plus erroris impertinens oratio habitura sit. Hoc est namque decorum illud poeticum ex persona de quo Cicero egit in *Officiis* et Flaccus in *Arte poetica*. Quo neglecto nil pyerium, nil divinum speres. Videamus autem nunc ad peragendam calumniam vafre ceptam quanto sint ingenio quantoque iudicio reprehensores mei. Has nempe, si nescis, nugas et hec murmura iandudum substomacans sed tacitus fero, sparsim audiens quid unus quid ve alias oscitasset, necdum seriem accusationis intelligens. Hoc ipso autem primum die rem ordine didici, referente religioso quodam iuvene, cive itidem nostro, multum illis licet adverso, qui que mei studio cum illorum certet invidia, quasi sacrilegium ducens homines, quantum sibi videtur, ignaros velle meis in rebus scientiam ostentare; idque adeo molestum omnibus in patria meum nomen amantibus ut molestius nichil sit et multa ab eis in auxilium veri dici solere asserens; illos autem captis insistere tanto nisu ut iam non rei veritas queri sed mei tantum infamia videatur. Hec mecum ille hodie scintillantibus oculis et inexpletis ac tremulis vocibus agebat, denique tanta erat indignatio ut vix lacrimas cohiberet. Agnovi etatis amorisque impetus, solatusque hominem iussi esse bono animo: eandem sortem philosophorum ac poetarum maximis fuisse, non recusandam sed optabilem his qui recta via ad gloriam niterentur; nam et languidis instare rubiginem et clara quelibet ac solida auri in morem attrita et conficta nitescere. Ille, vix tandem compresso tumore ac fervore animi, quid Aristarci mei cavillentur explicuit.

[7] In primis dicunt, non his quidem verbis sed suis egre se hoc dicere velle signantibus, illam tantam scilicet vim sermonis ac congeriem querelarum non sat consentaneam morienti, neque horam illam tales et tam graves sensus admittere. Sicut ut vides prima pars calumniae biceps est: non potuisse vel morientis spiritum

in eas voces vel ingenium in ea verba sufficere. Ad hec vero, solemni more disputantium nunc omisso, priusquam pluribus distrahamur respondebo, dum impetus, dum memoria recens est. Neque enim bellator expectat dum, ad satietatem adversarii percussus, totidem se mox ictibus ulciscatur, sed vulnera vulneribus miscens et nunc hostem preveniens nunc repellens, victoriam cogitat non vindictam. Primum ergo non sum nescius vires morientium exhaustas, atque ideo neque magnis neque artificiosis atque compositis vocibus pares esse. Novi in Cristo mirabile atque unicum, ut voce magna clamans expiraverit, dans adstantibus intellectum plus in illo aliquid esse quam hominem. Quo miraculo experrectus ille centurio Dei filium esse est confessus. Quem locum in Marco evangelista Ieronimus tractans, «cum ima voce» inquit «sive sine voce nos morimur qui de terra sumus, Ille vero cum exaltata voce expiravit qui de celo descendit». Quid hic sane sim dicturus nemo non videt, nisi cui oculos tumor livorque precluserint. Me, fateor, pudet tam abiecte ineptie respondere, sed res cogit. Non morientem ergo loqui facio, sed vicinum morti eamque iam de proximo intuentem. Quo in statu non doctos modo sed indoctos et multa loqui solitos et miris ac gravibus referta sententiis quis ignorat, interdumque nescioquid presagii ac divinationis habentia? Etsi igitur presens mors ingenium premat et vitalem spiritum intercludat, vicina tamen utrunque adiuvat atque attulit et velut in limine carceris egressurum admonet in terga respicere ac videre quantum laboris quantumque miserie relinquatur. Profecto quidem de re qualibet nemo melius iudicat quam qui et diu illam expertus est et, nichil inde iam metuens, nichil sperans, passionibus expeditum animum habet. Possem multa de philosophis, multa de historiis; sed malo dicere, in quo falli nequeo, quod his oculis vidi quodque his auribus audivi. Fuit unus ex his cum quibus vite huius ex parte laboriosum licet breve stadium cucurri; multos secum, sic res tulit, annos egi; nunquam tanto in tempore

quod audierim ex ore illius verbum prodiiit, aut perraro, nisi voluptuosum preceps tumidum invidum inquietum turbidum: meras simultates ac scandala loquebatur. Nec mirabere; talis erat vita, talisque preterea vox ipsa qualis materie debebatur; frendere aprum vel sevire ursum dices, non hominem loqui. Tandem affuit que nulli hominum defutura est quamque si mei iudices previderent, non stili mei, ut arbitror, sed vite mortisque sue curam gererent. Convenimus certatim et pietatis studio et visendi qualiter moreretur qui sic vixerat. Ille, ubi se morti proximum intellectus, mirum audies, statim vultu gestu voce alias, ea loqui cepit, sic se arguere, sic nunc omnes nunc singulos nos hortari ac monere, tantisque suspiriis hunc sermonem usque sub extremum spiritum traxit, ut me qui nunquam mores hominis probassem neque amasse, credo itidem et reliquos qui aderant, perpetuo sui memores benivolosque dimitteret. Quid de Roberto siculo dicam rege? Quanquam illi morienti simul ac viventi semper unus fuerit actuum ac verborum tenor, clarissimus tamen quiddam atque altius in morte personuit cigneumque illud obiens implevit philosophicum ac regium et divinum; vere sic instans regni periculum casusque omnes ante oculos posuit audientium, ut que futura aliis sibi presentia iudicares. Cuius lingua si sui similes aures atque animos invenisset, non tam subito infelix illa Campania et illa olim maior Grecia nunc minor Italia ex tam invidioso et tranquillo statu ad hunc adeo inquietum ac miserabilem corruisset. Ita dum hinc nostri secretioris et nove philosophie professores vocem et ingenium vimque omnem nondum extinti hominis obruunt atque sepeliunt, tum precipue et prostrati se se erigunt et erecti solito altius attolluntur. Sic vexatio animum tergit atque acuit; sic sopit ignaviam, sic virtutem excitat mors vicina. De quo tempore quid apud Tullium admirans legerim dicam: «Tum vel maxime» inquit «laudi student eosque, qui secus quam decuit vixerunt, peccatorum suorum maxime penitet». Quod dictum ex ore pagani hominis secunde

michi sufficiens calumnie fuerit. Ea vero est huiusmodi: que illi tribuerim morituro non sua sed quasi cristiani hominis videri. Ego vero non minus hanc inscitiam quam priorem miror, et, fateor, vix putassem nostro sub ethere nasci posse qui ista tam rauce tamque exiliter blateraret. Aridi atque ignobilis intellectus sunt talia temptamenta, quibus passio sola temptantis et impatientia detegatur. Quid enim, per Cristum obsecro, quid cristianum ibi, et non potius humanum omniumque gentium comune? Quid enim nisi dolor ac gemitus et penitentia in extremis, de qua quid Cicero ipse scripserit audivisti? Quanquam quid uno teste res agitur, de qua quisque sibi, totusque adeo terrarum orbis uno ore respondeat? At nusquam ibi Christi nomen expressum quod, superis licet atque inferis sanctum ac terribile, illis tamen in literis non habuit locum, obstante temporum ratione; nullus ibi fidei articulus, nullum Ecclesie sacramentum, denique nichil evangelicum, nichil omnino quod non in caput hominis multa experti iamque ad finem experientie festinantis secundum naturale ingenium atque insitam rationem possit ascendere: quibus utinam non ab illis atque aliis sepenumero vinceremur! Potest errorem ac peccatum suum recognoscere et perinde erubescere ac dolere homo etiam non cristianus, fructu quidem impari, penitentia autem pari. Quod nisi sic esset, nunquam in *Phormione* torrentianus hoc diceret adolescens: «egomet me novi et peccatum meum». Quod si sospes atque integer fatetur, quid egrotum posita ante oculos morte, facturum credimus? De qua rursum cognitione et confessione ac penitentia peccati opere reprecium est, non quid Anaxagoras aut Cleantes seu ex nostris Cato vel Cicero, sed quid lascivissimus poetarum Naso, quid ve philosophorum, ut perhibent, levissimus Epycurus senserit audire. Ille enim ait:

Penitet, o siquid miserorum creditur ulli,  
penitet et facto torqueor ipse meo.

Iste autem «Initium» inquit «est salutis notitia peccati». Quod verbum non immerito Senece video placuisse; itaque illud excutiens «Qui peccare» ait «se nescit, corrigi non vult: deprehendas te oportet antequam emendas»; et post statim «Ideo» inquit «quantum potes teipse coargue, inquire, in te accusatoris primum partibus fungere».

[8] Quid hic tibi dicere aliud videtur, quam quod in *Proverbiis* Salomon: «Iustus prior est accusator sui»? Aut quid aliud Seneca idem ad Lucilium, ubi ait «somnium narrare vigilantis est, et vitia sua confiteri sanitatis indicium est», quam quod in psalmo David: «Dixi: confitebor adversum me iniustitiam meam Domino (en confessio); et tu remisisti impietatem peccati mei (en sanitas confitentis)? Quamvis ergo cui et qualiter confitendum sit nemo nisi cristianus noverit, tamen peccati notitia et conscientie stimulus, penitentia et confessio comunia sunt omnium ratione pollentium. Et, si verba respicimus, quid minus est quod amans ille torrentianus paulo ante loquebatur, quam quod ipse David in psalmo illo notissimo, et illiciti sui amoris memor et sceleris: «Quoniam iniquitatem meam ego cognosco et peccatum meum contra me est semper»? Sed parum michi videntur correctores meu seu hec pauca que diximus, seu philosophica illa multorum, ante alias platonica et ciceroniana relegisse, quibus si nomen desit auctoris, ab Ambrosio sive Augustino scripta iuraveris, de deo, de anima, de miseriis et erroribus hominum, de contemptu vite huius et desiderio alterius. Que quoniam nimis multa sunt et nimium vulgata, sciens taceo. Sed, si ut ad mordendum sic ad discendum vigiles esse voluerint, infinita reperient ex quibus ita esse ut loquor attendant, et fortasse pudeat ista tam frivola collegisse.

[9] Tertia restat accusatio: non sat considerate me sermonem illum tam gravem iuveni tribuisse, qui proiecte convenientissimus sit etati. Quod ego ab his iam non iuveniliter, sed pueriliter dictum dico. Relegant omnes huius articuli tractatores: nemo, nisi fallor, ad

initium senectutis minus spatium invenietur posuisse quam Cicero; sex tamen et quadraginta annos posuit. Cuius sententiam siluissem, nisi quia et nichil viri illius negligendum extimo, et ipse, Catonem loqui faciens, ore illius id maioribus visum dicit, sicque in unum triplex coit autoritas. Ut sit ita, quando nil proprius adversariis meis favet, nunquid exempli causa anno etatis quadragesimo secundo morientem, quo defunctum Titum Vespasiani filium optimum principem palam est, loqui salsum maturumque aliquid non licebit, cospecta hinc labilis vite fuga atque hinc errorum tenebris mortis vicinitate discussis?

[10] Augustini autem senectus multo quam Ciceronis est tardior. Est illius liber qui inscribitur *Diversarum questionum*, ubi ad anno sexagesimo incipere illam dicit; que sententia, seu auctor inspicitur seu res ipsa, quantum firmitatis aut ponderis habitura sit viderint qui nil sobrium nisi a sene decrepito dici posse contendunt. Nec vero tam pertinaciter hanc amplector, ut reliquas omnes abiciam: scio de hoc alios aliter atque aliter sensisse; sed operosum est hominum sensus ac verba colligere. Itaque, etsi plures ad testimonium trahi possent, paucos sponte obvios adhibui. Inter quos Isidorus, quo auctore raro utor, dum in sex etates vitam nostram divideret, «quarta» inquit «est iuventus firmissima etatum omnium, finiens in quinquagesimo anno». Quid rosores mei dicunt? An hic saltem, evo ultimus opinione medius, testis placet, an quis alias? Ego enim, cause fisus, nullum respuo, nisi qui inter iuvenem ac puerum non discernat; quales hi videntur quibus cum michi res est, qui de iuvene viro forti bellacique duce me loquentem, quasi de puero vel infante loquar, arguunt. Hac etate igitur plena et firma iuvenis meus erat qua qui loqui nescit, meo consilio, ad scolas eloquentie nunquam ibit. Hunc ego ideo «iuvenem penum» dixi ne, si indifinite «penum» dicerem, prima fronte Hanibal crederetur, et natu maior et clarior fama. Bene autem et etate sua et comparatione fratraris dictus est

iuvenis, qui hinc iuvenis esset hinc iunior, sed vir tamen summis in rebus expertus totiens utranque fortunam. Sed quid causam munitissimam ut inermem tueor, cum promptissimum sit, quod illi firmissima ac solidissima in etate stupent, id in infirmis ac teneris demonstrare? mitto Dyadumenum Antonium, qui cum sene patre, non iuvenis ipse sed puer, ad imperium provectus, cum populum affari novis principibus mos esset, ubi ad id ventum, prudentius ipso patre contionatus legitur; sileo Clodium Albinum, cuius adolescentie nonnulla tam gravia referuntur ut in sene quolibet mirabilia videri possint; quod hi forte reprehensoribus meis habeantur incogniti, non tam historie deditis quam satyre. Sed nunquid Alexandrum romanum principem non neverunt, cuius multa in arctissimis casibus tam prudenter atque integre acta, tam modeste responsa, tam severe animadversa, tam provide deliberata narrantur, ut liqueat longum tempus ad sapientiam non requiri, quippe non amplius quam vigintinovem annis, tribus mensibus et diebus septem vixit. An hunc senem fuisse, an qui tanta dictorum atque factorum laude diu in illa tumida fortuna, que prudentiam necat insolentiam parit, tanti pondus tulisset imperii, paucula verba consultius loqui non potuisse in ipsa que humani animi tumorem comprimit morte dicturi sunt? De quo quidem, non in poematibus ubi plusculum licentie est, sed in historiis ita scriptum cernimus: «severitatis tante fuit in milites ut sepe legiones integras exautoraverit, ex militibus quirites appellans, nec exercitum unquam timuerit». Et sequitur ratio dicti huius optima: quod scilicet «in vitam suam dici nichil posset». De hoc eodem principe ac ipsa etate sic predicit Helius Lampridius historicus: «erat enim» inquit «ingentis prudentie et cui nemo posset imponere». Quid ergo? hic qui, imperium adeptus adolescentie in ingressu, usque ad egressum tanta illud sapientia iustitiaque rexerit, totque tam claris contionibus ornaverit, mutus in fine fingitur futurus si naturalis ac tranquillus illi finis, non violentus ac rapidus

contigisset? Sed hec forte etiam illis serio studiosis inaudita, que michi lectori vago fors obtulerit. An vero Alcibiadis puerile quoque nesciunt acumen, qui sapientissimo tum florentis Grecie seni consilium illud dedit, quod Grecorum ad Latinorum senes pariter mirarentur? Verum ille non habitus animi sed flos fuit, atque ideo non virtutis sed indolis exemplis ascribitur; probat tamen non iuvenem modo, sed puerum posse aliquid efficax ac mirandum loqui.

[11] Sed an cuiquam hominum, qui se norit, ignotus est Scipio ille, cui primum Africani cognomen virtus ac gloria peperere, qui durissimo prelio infeliciter ad Ticinum gesto patrem suum, romani tunc exercitus clarissimum ducem sed iam victum affectumque acri vulnere, media de morte servavit — idque vel «tum primum pubescens», ut Livius ait, vel «vixdum annos puerilitatis egressus», ut Valerius —, servatique civis et ducis et patris triplex decus ac triplici laude consertam meruit coronam, illa ex acie unde nichil preter fugam iam sperabant aut querebant viri fortis duratique bellorum usu et armorum exercitio veterani; neque tam acerbe constantie vel fortune vis adverse horrendeque stragis respectus obstitit, vel etatis imbecillitas: non enim aut periculum metitur aut annos numerat vera virtus. Idem ipse non multo post adhuc, ut testatur Livius, admodum adolescens ignava prorsus ac pudenda consilia Italie relinquende presentissimo animo atque incredibili virtute discussit. Idem postea quattuor et viginti natus annos, ducibus vel attonitis vel extinctis, unus reipublice tutelam teneris adhuc subire humeris non veritus, imperium in Hispaniis ante tempus accepit, et domestice sue cladis et publice tepido tunc etiam crux manantibus; cumque post factum extimatio etatis in metum verteret cepissetque iam populum inconsulti suffragii penitere, vocatis ad contionem tribubus, ita omnem diffidentiam magnifica oratione compescuit, ut extinctum animorum impetum suscitaret et cunctorum mentes certissima

victorie spe compleret. Nichil credo secum in grabatulo, iam etate proiectior quamvis adhuc iuvenis, loqui sciret, qui in publico adolescens maximum in terris populum ac discordem et multivolum fando tam facile in suam sententiam traduxisset. Ac ne false spei implesse animos adolescentis audacia videatur, in provinciam mox profectus, quam fortiter quamque feliciter et patrem et patruum et patriam vindicarit toto orbe vulgatum est. Neve martia virtus hanc laudem sola occupet, quenam eius his diebus apud Hispanam Carthaginem continentia et fides erga ostem quoque, quanta apud Sucronem severitas mixta clementie! illic custodia diligens matronarum et ne oculis quidem delibata pudicitia, hic nutu frontis compressus exercitus punitique sontes et ad milites habita testatur oratio. Age, bello vitor ex ordine quantus apud populum, quantus in curia apparuit, quando Quintum Fabium Maximum, principem tunc senatus sapientissimum ac famosissimum senem secum de summa reipublice dissidentem, licet adversis patribus preclara vicit oratione, in qua illud et ipse gloriatur, et res probat, senem ab adolescente saltem lingue modestia superatum. Idemque mox e Sicilia in Africam traiecturus, quanto ingenio alam illam fortissimorum equitum armavit atque instruxit! et, ut sileam que audacie potius aut fortune quam consilii dici possent, etsi ab eo nichil vel in acie sine certo consilio gestum sit, utque attingam que consilii sunt solius et ingenii, quenam illa suavitas, que comitas, que vis eloquentie, qua «non Siphacem modo regem barbarum», ut Livii verbis utar, «insuetumque moribus romanis, sed hostem etiam infestissimum» sibi conciliavit Hasdrubalem! Que humanitas, que castitas, dum vel sponsam forme insignis intactam viro reddidit, vel regii puerum sanguinis captivum muneribus adornatum remisit avunculo, quibus artibus utrunque vicit utilius quam prelio vincerentur! Que illa gravitas, que sanctitas, qua sine offensione coetaneum sibique carissimum sed ferocem atque amore languidum arguit

Massinissam, et deinde, luctu nimio consternatum erigens, a prevalide sensu pestis in alias curas alta providus arte distraxit! Postremo que illa mens, que illa fidutia qua, istante ultimo rerum casu, petenti pacem respondit Hanibali!

[12] Multa de Scipione meo loqui dulcis et opima materia est, quod nec ducem quempiam magis amem, nec quisquam melius horum nugas atque aculeosam retundat invidiam. Sine dubio enim — dico idem sepe ut me surdi mei audiant — sine dubio, inquam, monstruosius est iuvenem, morbo presertim et vicina morte commonitum, breve aliquid de comuni natura deque casibus ac fortunis hominum submissa voce secum agere, quam adolescentem mollire hostes alloquio, amicos arguere, armatas legiones castigare et contentione orta, que acerrima eloquentie pars est, Romanorum atque Carthaginensium duces callidissimos confutare. Linquo alia, gesta licet a iuvene. Hec nempe que dixi omnia ab adolescenti, vel in ipso adolescentie iuventeque confinio, ante seu circa annum trigesimum acta erant. Iuvenis autem meus, ut dicebam, aut ad quadragesimum annum excesserat, aut ad quinquagesimum propinquabat, necdum ideo diu possessum iuvenis nomen amiserat.

[13] Si nec his omnibus persuasi, neque humane proficiunt conjecture, divine quis obluctabitur veritati? Siquidem Deus, in fine temporum factus homo, qui, divinitate sua eternus atque immensus presidensque omnibus nec inminutionis patiens nec augmenti, humanitate vero parentibus, hoc est matri vere et putativo patri, subditus «crescebat, et confortabatur» ut Lucas ait evangelista, et «proficiebat sapientia et etate», ad predicationis initium, ut Deus ab eterno gnarus omnium nec egens temporis, ut homo annum trigesimum duxit ydoneum, quis hominum hanc etatem dicere audeat imperfectam, quam nobis nostri Ducis electio consecravit? Quis vetabat expectare illum, qui nec nasci nec mori potuit nisi dum voluit? Poterat tardius et citius poterat celeste iter ostendere; omnis

illi etas apta erat. Quod ita esse ne dubites, iam inde a pueritia anno etatis duodecimo inter doctores legis sedens ac disputans omnes stupore compleverat. Annum ergo trigesimum expectavit et non amplius, idque non propter suam necessitatem sed propter exemplum nostrum. Ut enim libro *Vere religionis* ait Augustinus, «tota vita Eius in terris, per hominem quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit». Re itaque nobis, aggredi aliquid grande volentibus, metam fixit, ne vel magisterium anticipemus, vel operationem virtutis aut doctrinam in senium differamus. Quiescant, oro, mei iudices neque frustra se torqueant. Non infantem, sed nec puerum, nec adolescentem quidem, imo iuvenem hoc est nondum senem dixi; quando qui non sapit adhuc modicum et in senio delirabit. Sunt multi, fateor, imo innumeri, qui omnes etatum partes in voluptatibus inter vanitates et insanias falsas agunt, ea spe ut, quasi non doctrina, non studium sed soli sapientiam ferant anni, sint in etate ultima sapientes. Quod tale est quale si agricola, cum inter somnum ac ludos sementis tempus omne consumpserit, ventura estate messem speret uberrimam. Sed iam peregrine materie satis est, unde et ego *melle saporatam et medicatis frugibus offam* latratoribus meis obicerem atque horrentem colubris Cerberum consopirem. Quod si prorsus implacabilis et insomnis invidia est, veritati tamen suisque cultoribus, ante alios tibi quem his primum latratibus fatigatum scio, hac ut nostris miti sic emulis relatrant epystola satisfactum reor.

[14] Quarta hercle, nescio an et ultima, accusatione si moveor, ad nil aliud quam ad risum moveor. Altior in *Bucolicis*, ut aiunt, stilus est meus quam pastorii carminis poscat humilitas. Omni utinam alio crimine careant que scripsi omnia et que scribam! Huius reum fieri me facile patiar, non ignarus tamen tres poetis atque oratoribus stilos esse, nec culpa vacare si unus in locum alterius transferatur. Ceterum comparative magis quam simpliciter altum aliquid imumque vel

medium dici solet, et parvi colles in plano eminent, et magni montes maioribus cincti latent. Olimpus ipse, victor nubium, celo vincitur; luna nobis altissima sideribus cuntis inferior est. Poema ego illud iuvenis scripsi, «audaxque iuventa», ut de suis *Bucolicis* ait Maro. Videbar inde aliquid scripturus iamque inceperam, quod sperabam — nec despero — altum adeo evasurum, ut aliud sibi adiunctum humile satis ostenderet ac depressum. Adde quod, ut omnis cessen comparatio, multa etiam per se accepta pro varietate iudicantium huic alta, illi videntur humilia; et in psalmo scriptum est: «Montes excelsi cervis», et sequitur: «Petrica refugium herinaciis» et talpa, terre superficiem ubi attigit, altius non assurgit et inter volucres aquila, ut altum teneat, nubem scandit, pavo tegulas, fimum gallus. Et quid plura? Stilum ego ultro absolvam, cuius unicum vitium altitudo est, et, si oporteat, huic non invitus infamie succumbam. Meo autem iudicio non oportet; modestiore forsan ingenio sunt quibus id visum sit; apud me quidem illo in carmine nichil est altius quam deceat aut quam velim.

[15] Tandem vero, amice, aliquando, si placet, hos obtrectatores nostros latine loquentes aut scribentes aliquid audiamus, et non semper in angulis inter mulierculas ac fullones vulgaria eructare problemata. His enim philosophantur in scolis, his in tribunalibus iudicant sine iustitia aut delectu: quisquis absens idem reus, nulli hominum defertur, nulli parcitur indefenso, veterum et novorum lacerantur fame et longis terfa vigiliis nomina deformantur. Sic grassantibus adhibe literatum hominem: muti fiunt et, palladia quasi Gorgon accesserit, durantur in silicem. Scribant modo aliquid, queso, ut et nobis, uti si libeat, esse dentes intelligent. Sed quid posco? Non plus ignorantie nec plus invidie quam cautele est: semel provisum ab incursibus; sibilant semper ac latitant «et in hoc se doctos arbitrantur si aliis detrahant», ut cum illo finiam qui talia multa passus est Ieronimo. Vale.

Venetiis, III Idus Martias.

3

## Ad Franciscum Brunum

*Ad Franciscum Brunum, quanti laboris et periculi sit scribere; scribendum tamen, et qualiter.*

[1] Quanta vis esset eloquii, lepore simul et ratione conditi, atque hinc verbis, hinc sententiis affluentis, sepe re cognitum atque compertum est. Nunquam Milonis aut Herculis tam fortia brachia, quin Ciceronis esset aut Demosthenis lingua potentior: illi quidem magno nisu molem forte aliquam, pondus ignobile, hi vero animos movebant, rem nobilissimam, penitusque mutabilem ac divinam. Hec in mentem ut nunc redeant, tu facis. Cepi ego, literis tuis vix perfectis, magna velut aliqua vi compulsus, varie ac vehementer in diversum agi, sic ut tibi — mirum dictu — simul et compaterer et congauderem. Gaudeo equidem quo pergebas te in columem pervenisse, qualemque optabas ac sperabas apostolicam clementiam invenisse: nichil durius, nichil amarius spe caduca; illius nempe mansuetudinis morumque suavium, et conversationis angelice, preterquam quod tuis multorumque michi literis fides sit, certum iam ante presagium fecerat Urbani nomen. Apud me enim appellatio sponte suscepta iudex est animi, testis propositi. Optimam sane, Deoque et hominibus gratam viam elegit, queque eum ad felicem portum necessario perductura est, viam, licet multis incognitam ac neglectam, sibi tamen et suo statui maxime debitam. Quamvis enim Romano Pontifice nil altius, nil clarior, nil venerabilius, imo vero nichil illi par habeat orbis terre, ipse tamen, tanto evectus honore tantoque oneri subiectus, cum fideli reverentia ac stupore debet humanitate ac pietate contemnere, aliquantoque — nisi fallor — et

mitior et humilior esse quam fuerat. Mirum hoc multis fortasse videbitur qui levi qualibet prosperitate superbunt, ac non sibi, qui meminit, ut res docet, se illius in terris vicem gerere qui ait: «Discite a me quia mitis sum et humilis corde». Indecorum est quidem atque absonum, humilis domini vicarius superbire. Huius ego igitur argumentum maius nec postulo, nec expecto quam quod michi tu scribis, et loquitur fama. Nam quod certius, queso, invicti et in solido fundati animi signum queras, quam neque fortune nimis deici, neque blanditiis attolli? Aut unde altius poscas experimentum quam quo nichil est altius? Evidem quem supremus humani fastigii vertex immotum vedit, nulla amplius res movebit. O bene creatum spiritum, quem ista non quatunt! Felix ille his moribus, felix mundus hoc capite, felix tu hoc domino, ita dico, et ille felicior his moribus quam hoc statu, et tu hoc domino quam libertate felicior! Est ubi libertas labor; est ubi regnum servitus; est ubi servitus regnum sit: proinde et fortune tue gratulor et glorie, si compatior labori. Bene autem res se habet, valida est etas, meritorius ac preclarus labor, extimator optimus, quo nil optabilius, ingenii bonis atque ad alta surgentibus. Sub hoc ergo, Deo auspice, quicquid erit obibis alacriter, indefesse, viriliter, memorans illud Flacci:

Nil sine magno vita labore dedit.

Ut es fidei abundans, dexter animi, nichil accessu arduum invenies, nichil executione difficile; montes etiam fides transfert, et valde volentibus omnia plana sunt. Non tu artis eges, nec ingenii; si quid insuetum novitas feret, animi illud forcipe rapies et in usum trahes, tua incude repercutsum, tuis iniectum recoctumque fornacibus: tuum fiet, idque non solum tale, sed melius. An ignoras ut ex eadem massa Phydias aliam cudebat imaginem, aliam Praxiteles, aliam Lisyppus, aliam Polycletus? Incipe, ne diffidas, et veteribus nova permisce: si id rite feceris, suum pretium invenient. Frivolum est soli senio fidere: et qui hec invenerunt, homines erant. Si virorum

vestigiis deterremur, pudeat, primas partes huius laudis femine occupant: harum quibus utimur literarum inventrix mulier fuit. Nec nos moveat tritum illud ac vulgare, nichil novum esse vel dici posse. Postquam id Salomon atque Terrentius scripsere, quam illustrata philosophia est, quam elimata poemata, quanta historie lux addita, quot inverne artes, quot diversis in gentibus leges late? Quis humane vite cultus accessit? Quod rerum exercitium? Quanta notitia divinorum? Nil tam cultum, nilque adeo cumulatum, cui non aliquid addi queat. Assurgere et enitere, ut voluptas egri, sic fortis sanique animi cibus est labor. Primum solus in silentio meditare; meditata claustris abde memorie, serisque constringito; tacitusque eadem, intentusque circuito, atque incorruptus, examina. Inde oris ad lumen et ad calatum nullo adhuc teste pedetentim prodeant; vicissimque subsistant, deliberantibusque similia, et dubitare videantur, et fidere. Dubitatio circumspectam, cautam, sobriam ac modestam reddet orationem; fiducia vero letam, uberem, magnificam, speciosam. Ubi sane conceptus in verba, sive in literas continue lectionis eruperint, sic proferantur ut te audias; non quasi conditor, sed iudex aurem atque animum in consilium voca, et cogita quid dicturus fueris, si tuus hostis illa dictasset. Quid scis, an tua hec ad manus hostium sint ventura? Quorum? inquies. Invidorum, qui virtuti bellum perpetuum indixere. Quisquis paulo altius niti ceperit, multos hostes inveniet, non eodem modo nitentium ex acie, sed torpentium quoque — quod miraberis — humique iacentium, imo quidem horum maxime. Nullum vitium pigrius invidie est, nimis fere depresso pectoribus habitat, gaudii nescia, lucis hostis. Vides quantum cum labore periculum sit scribere: sed scribendum tamen, ne ut lupus rusticum, sic nos raukos fecisse invidia videatur. Ad scribendum ita, ut qui nostra momorderint, solida, fervida, hispida, dura atque hirsuta reperiant, et dentibus fractis intelligent verum dixisse qui dixerit invidos homines nichil aliud quam ipsorum esse tormenta, eamque

non rapidam, iuvenilem, sed maturam, vereque egregiam fuisse sententiam fateantur. Idque felicius assequemur si recti, si veri, severique iudices nostrarum inventionum erimus, nichil minus in illis cogitantes quam auctorem, nichil amantes minus, quam quod nostre sint. Neque enim, ut deformis filius atque incultus, amabilis, quia filius est, sic stilos quoque, quia noster, in quo non cuius sed quis ipse sit queritur, que in illo veritas, que gravitas, quis ornatus. Ubi illud acerrime providendum, ne quis te verbi huius aut illius splendor, ne qua tue vel alienae vocis fallat illecebra. In quorundam ore nil non dulce sonuerit; alterius ad os transfer: alio fuisse tibi videaris ingenio. Optanda dictantibus lingua suavior, sed asperior metuenda. Ut semper placeas, ad sententias respice: que si apte, si nobiles, si decore erunt, et unde etiam delectabunt, et facile vestientur. Multa utranque in partem poteris, ni desperes. Hec tu solus, aut cum paucis; dehinc plusculos adhibe liberos, non tam tui quam veri amicos; quanquam si amici fuerint non fortune, nil nisi fideliter consulturi sint. Sic sensim domi horridula, post in lucem tersa pervenient; id cum semel atque iterum feceris, in dies minui senties laborem, donec re in habitum versa, non iam labor, delectatio in actu. Non te, amice, sed me ipsum doceo, teque alloquens me moneo, meque audiens disco: dabis veniam, longus sum. «Experientia, inquit Aristoteles, artem fecit». Idque enim vere dicere nulla artium neget; hec presertim quam sub oculis habeo, nauticam artem dico. Que prima post iustitiam, huic magne urbi, in quam nuper procellas mundi fugiens commigravi, tantum et tam multiplex incrementum attulit. Meministi enim quanto cum sonitu et Grecorum et nostrorum vatum navis olim rudis atque unica, sed onusta semideis, ut fama est, Thesalicis digressa litoribus, per vicinas ac prope contiguas Hellesponti fauces, angustumque Propontidem ac Tracium Bosphorum, horribilia nomina, equor Euxinum ingressa, magna vel glorie spe, vel lucri, quasi alium orbem Colchon adiit,

plausuque omnium gentium (et immortali preconio dignum fuit) Phasidos alveum attigisse: o rem novam! Incipiebat experientia artem facere; sed adhuc in cunabulis ars iacebat. Crevit inde adeo ut non immerito dictum putas patre maiorem ex Thetide nasciturum. Quod, etsi in cuntis evenerit, in nulla tamen apertius. Ecce nunc Italo de litore naves innumere funem solvunt, pars pridem hieme rigida, pars hodie dum adhuc ver ambiguum, brumeque similius quam estati. Ille ad ortum solis, ad occasum alie, pars in Boream, pars in Austrum, he Lybicas Syrtes aditure, ille occiduum mundi limitem Gades et Calpem a tergo, ille duos Bosphorus et Colchon et Phasidem relictare, non auree ovis — ut quondam — trahente miraculo, sed hortante auro, tamen et urgente, ut per tot casus totque terrarum pelagique discrimina, hinc vina nostra Britannis illinc nostra insuper mella Scithis in poculum devehantur, hinc nostre silve — quod vix credas — ad Acheos aut Egiptios, illinc ad Syros, et Armenios, ad Persas et Arabes noster crocus, nostrum oleum, nostra lina perveniant, vicissimque inde aliquid huc redeat.

[2] Cogam te una hora vigilare mecum: nempe, dum tibi somno gravis hec scriberem, intempesta nox erat, nimbosus aer; cunque ad hunc locum fessus calamus pervenisset, tantus subito nautarum clamor aures percult: cum surgens, signo quod assolet memorie impresso, superiorem in partem domus evaderem, que portui imminet, respicio. Deus bone, quod spectaculum! Quis horror, pius, tremendus, delectabilis! Hic ante ostium, litoreo marmori retinaculis herentes, aliquot naves hibernaverant, hanc ipsam quam meis usibus dedicavit libera et liberalis hec civitas ingentem domum mole equantes ac geminas angulares turres nimis insigniter veliferi mali vertice supergresse; harum maxima, hac presenti hora, nubibus astra tegentibus, ventis muros ac tecta quassantibus, mari quoddam tartareum mugiente, iter arripit, faustum precor. Crede autem michi, si hanc Iason videat aut Alcides, vehementer obstupeant, si Tiphis ad

clavum sedeat, erubescat tantum sibi de nichilo partum nomen. Dices non navis illam esse, sed montis pelago natantis effigiem, cum fasce tamen pressa gravissimo bona pars uteri fluctibus tegeretur. Et ipsa quidem Tanaim it visura, nostri enim maris navigatio ultra non tenditur; eorum vero aliqui, quos hec fert, illic iter eam egressuri, nec antea substituri quam, Gange et Caucaso superato, ad Indos atque extremos Seres et orientalem perveniantur Occeanum. En quo ardens et inexplebilis habendi sitis hominum mentes rapit? Misertus sum, fateor, nec immerito a poetis dici nautas miseros intellexi, quos cum iam per tenebras sequi oculis non possem, concussus animo ad calatum redii. Hoc unum tacitus mecum volvens: «heu quam cara, simulque quam vilis est vita mortalibus»! Ecce amice, fabulam peregi, non necessariam epystole, sed iocundam michi, quam quesitam minime res ac tempus obtulerant; ad id vero respicit, quod dicere ceperam. Experientia siquidem artem facit, usus autem artem gignit, nutrit ac perficit; verumque sit quod Afranius opinatur, rerum sapientiam, usus ac memorie filiam: verba tenes:

Usus me genuit, mater peperit Memoria.

Sophiam vocant me Graii, vos Sapientiam.

Hec horumque similia cogitasse videtur Augustinus, ubi artem rerum expertarum placitarumque memoriam diffinivit. Et tu igitur experire, idque tam sepe ut, quod fuit experientia, usus sit: hoc plena memoria, mox tibi pulcherrimam sobolem, facilitatem actionis, fiduciam, delectationem, gloriamque pepererit. Et licet fortassis interdum — quod in talibus ut molestissimum, sic comune est — plebeiorum ingeniorum turba circumstrepit, facile cum tanto sub iudice murmur inane despicies, virtute ac doctrina et studia invidiam extincturus.

[3] Sed iam finem poscunt graves oculi, fessa manus, hora noctis ad soporiferam vergentis auroram, quem sola insomnis, nendum hoc colloquio satiata, mens refugit. Hec me, ut ad quod modo respondeam, adigit, quod scripsisti esse nonnullos apud vos qui non de te tantum, sed de me etiam et de meo iudicent ingenio. Noli, precor, indignari; noli obniti; noli operam perdere: hostes tibi quesieris, nec eosdem michi ideo dempseris, sed irritaveris amplius atque flammaveris. Fatalis hec michi, si dici fas, et antiqua est pestis. Multi de me iudicant, quos nec novi, nec noscere quidem volui, nec nosci dignos arbitrор; et quis eos rerum iudices mearum fecerit, non inficiar me mirari. Neque vero magis istinc quam comuni patria nostrisque concivibus id patior, iudicibus tam certis ac iustis, utinam quam velocibus et securis. Nescio autem huic generi unde hoc proprium atque affixum, ut ad iudicandum eo quisque sit audacior promptiorque quo indoctior, seu quod paucorum notitia multa vetet aspicere et vacuitas animorum eos efficiat leviores atque ita cum brevior tum celerior ad ferendam sententiam sit processus, seu quod in hac hominum fama (cuius tenue licet fluxumque negotium multis ac variis artibus precipuis, tamen armis et literis, agitur) idem quod in rebus fere cuntis eveniat, ut is semper ad aliena rapiendum vastandumque sit pronior, qui proprium nichil habet, quod eripi valeat aut vastari. Ceterum civilis illa procacitas ingentem michi nuper epystolam extorsit; hanc externam, ob illius reverentiam, cuius canibus, ne dicam familiaribus, deferendum est, tacitus feram, non modo dum ludit, sed si seviat. Et sane tolerare equis animis decet omnium iuditia; nam ut iuste respuere superbia est, sic mollices iniusta metuere. Non solet mendacium esse longevum, et sepe multo studio conficta reprehensio in magnam reprehensi laudem et reprehensoris infamiam versa est. Tegi potest veri lumen, sed extingui nequit: vivit enim dum extinctum creditur, perque obiectas nubes inexpectatum iubar erumpit. Quamobrem, etsi

interdum subirascar ac stomacer, fastidioque michi non exiguo sit, tot talesque tamque non meos iudices pati, ad summam tamen nullum iudicem preter invidiam atque odium recuso. Restat ad ultimum ut te horter, quicquid ages, quamvis nimium tibique notissimum, ne unquam viribus tuis fidas, sed ex alto poscas et speres auxilium: pia et humilis terrene fragilitatis extimatio iugisque memoria, divinam opem ac robur celeste merebitur. Nullum hoc artificio certius ad res agendas, nullum efficacius. Hoc fidele consilium amici senioris amplectere, et vale, nostri memor.

Venetiis, V Idus Aprilis.

# Liber 3

## 6

### Ad Iohannem de Certaldo

*Ad Iohannem de Certaldo, de mortalis instabilitate propositi.*

[1] Cum nil serium quod scriberem adesset et omnino aliquid scribere mens esset, quod memorie proximum fuit, arripui. Leo noster, vere calaber sed, ut ipse vult, thesalus, quasi nobilior sit grecum esse quam italum, idem tamen ut apud nos grecus sic apud illos puto italus, quo scilicet utrobique peregrina nobilitetur origine; hic leo, inquam, undecunque magna belua, me nolente frustraque diu ac multum dissuadente, surdior scopulis ad quos ibat, tuum post abitum hinc abiit. Nosti hominem et me nosti; an is tristior an ego letior haud facile iudices. Itaque veritus ne convinctu assiduo fortassis inficerer — est enim animi egritudo non minus contagiosa quam corporis — abire passus sum ad quem tenendum alio quam precum vinculo opus esset, dato illi vie comite comico Terentio quo increbilius delectari eum animadverteram, sepe stupens quid commune habere posset graius ille mestissimus cum hoc afro iocundissimo. Sed vix ulla tanta dissimilitudo est que non simile aliquid habeat, sicut contra nulla tanta similitudo que non aliquid dissimile. Abiit ergo sub estatis exitum, multa me coram sepe in Italiam latinumque nomen acerrime invectus. Vix illum pervenisse dices dum, ex insperato, barba et crinibus suis horridior maiorque ad me rediit epystola ubi, inter multa, ceu terram celestem, damnatam modo laudat atque amat Italiam, dilectamque Greciam odit, laudatamque Bizantion execratur; et ut se iubeam ad me venire tanta rogat instantia quanta vix Petrus naufragans imperantem

fluctibus Cristum orat. Ego rideo mirorque hanc iudiciorum tantam vertiginem tam brevi temporis spatio; imo ne id quidem miror. Scio enim animo qui radices in sapientia et virtute non egerit, nichil esse mobilius; cuius rei causas fortasse alias, sed unam haud ineptam, ut pagani hominis, apud Senecam legisse potes in eo libro quo Helviam consolatur. «Invenio — inquit — qui dicant naturalem inesse quandam irritationem animis commutandi sedes et trasferendi domicilia: mobilis enim et inquieta homini mens data est; nusquam se tenet, spargitur, et cogitationes suas in omnia nota atque ignota dimitit, vaga et quietis impatiens ac novitate rerum letissima. Quod non miraberis si primam eius originem aspexeris. Non enim terreno et gravi concreta corpore, ex illo celesti spiritu descendit; celestium autem natura semper in motu est». Probat hoc deinde, sed superfluo; nam res sensibus clara est. Cui hoc tamen adiciam et rem dicam mirabile sed, nisi fallor, veram: ubi duo illa defuerint quibus radicatum quero animum, ad constantiam eius non modo non prodesse literas, sed obesse. Dant audaciam, loca edocent, vias monstrant, congerunt viaticum, varios ingerunt cogitatus quibus, ut stimulis, multa videndi excitant appetitum neque frenant natura vagum animum, sed impellunt agitant circumvolvunt. Id si unquam in ullo homine clarum fuit, in hoc nostro Leone clarissimum est. Non leo marmaricus dum fremit caulis lustrandis ardentior crebriorque quam hic noster provinciis peragrandis, et, ut auguror, nisi rationis officium pauperies occupasset, non leo esset ille sed volucris. Gaudeo hercle verbis incredulum rebus admonitum, et saxeum illud caput experientia emollitum; ceterum neque constantie sue fido neque vel naturam vel etatem — et ipse aliud spondeat — mutandis moribus aptam reor.

[2] Unum preterea quod ridebis precibus inserit, ut pro eo scilicet apud Constantinopolitanum Imperatorem literis intercedam, cuius michi nec visa facies nec auditum nomen. Leo, tamen, me sic illi ut

Romano Imperatori notum ac familiarem, quia cupit etiam opinatur, quasi qui in imperii titulo conveniunt unum sint prope suo iure id quidem. Greci enim Constantinopolim alteram Romam vocant, quam non parem modo antique, sed maiorem corporibus ac divitiis effectam dicere ausi sunt; quod si in utroque verum esset, sicut in utroque (Sozomeni hoc scribentis pace dixerim) falsum est, certe viris armis ac virtutibus et gloria parem dicere, quamvis impudens greculus non audebit.

[3] Postremo autem ne amici volatilis tam verbosa mentio frustra sit, redit his in animum te precari ut homerice partem illam *Odissee* qua Ulices it ad Inferos et locorum qui in vestibulo Erebi sunt descriptionem ab Homero factam, ab hoc autem de quo agimus tuo hortatu in latinum versam, michi quam primum potes admodum egenti, utcunque tuis digitis exaratam, mittas. Hoc in presens. In futurum autem, si me amas, vide, obsecro an tuo studio mea impensa fieri possit ut Homerus integer bibliothece huic, ubi pridem grecus habitat, tandem latinus accedat; nec sum nescius quanta tuarum mole rerum pregravatis umeris quid imponam, sui appetens fidens tui. Vale.

Venetiis, Kal. Martiis.

9

### Ad Bonaventuram Baffo

*Ad fratrem Bonaventuram Baffo Venetum, graves patrie rumores.*

[1] Una hora duas michi gratissimas literas tuas attulit que, diversis inde temporibus digresse, unum hic in tempus coiere. Illis visis illico tecum fui. Quamvis enim, ut est animus amicitiarum tenax et vulgarium negligens curarum, non tecum modo quotidie cumque his paucis quos michi iam reliquos mea sors fecit, sed cum his quoque quos abstulit creber sim, necui mirum videatur non posse in

me absentiam quod mors nequit, semper tamen atque omnibus presens locis, ipsis in literis presentior fit amicus. Sic optatam faciem docta manus exprimere non scribendo minus quam pingendo didicit. Quibus ego nunc literis hoc responsum velim: etsi desiderio tui angar, te tamen in loca amena et salubria commigrasse gaudeo; ex diverso autem nature donum hominum perversitate confundi celique serenitatem belli fumo et pulvere deformari doleo. Fit hoc, ut arbitror, nequa dulcedo mortalis nostrum iter impedit neve nos patrie celestis immemores viarum forte terrestrialium reddat amenitas. Speculator ethereus, ut torporem nobis excutiat, nunc nos blandis et nunc duris agens stimulis, dulcia amaris leta tristibus secura sollicitis miscet ac temperat. Libros quos querimus illic non esse non miror. Nam et ego, dum id tibi imponerem, temptabam potius quam sperabam. Sed iuvabat experiri an, quod interdum accidit, spem successus excederet. Inquisitionem quidem hanc librorum, quamvis sepe irritam, omittere nescio: tam dulce est sperare quod cupias. Habebimus vero quos poterimus neque pulcre indagini fedus torpor obstiterit; reliquos patienter optabimus, atque ita progrediemur his contenti quos nobis nostra sors tribuit, legendique impetum ac discendi ardorem mortalitatis recordatione solabimur. At quod ibi etiam amicos michi esse ais, et miror et glorior; una enim pars Italie est, cui ignotissimum me putabam. Vide autem ne amico et faventi mendacio nunc quoque fuscum nomen ornaveris.

[2] Postremo quod de patrie meoque statu queris accipe: nullus est malorum finis nulla nisi misericordia Dei spes. Sine hos qui que cupiunt fingunt sibi iam adesse, et quecunque somniaverint vidiisse se credunt; paululum forsitan se se minor, sed adhuc ingens atque horrifica sevit pestis, undique aures fletus et querele, undique oculos tepentia funera urneque feriunt patentes, quodque in capta urbe ait Maro,

crudelis ubique

luctus, ubique pavor et plurima mortis imago  
et quocunque te vertas adhuc late ferventem videoas Libitinam.  
Quarum me rerum, fatear, non metus sed fastidium domi tenet sepe  
solitos congressus tue fidelis amicitie requirentem. Et de domesticis  
hactenus.

[3] Bellum vero nunquam gravius fuit, nunquam funestius; quod  
finitum sperabamus ingeminat et in diem, infernis ut ita dicam  
follibus excitum, inardescit. Sic de celo ira Dei culpis hominum, de  
terris hominum rabies demoniacis pulsa calcaribus, et confuso  
laborum ac terrorum pulvere mundi calleb et multa nube  
miseriarum purum iubar vite huius implicuit atque involvit. Utque,  
omissis totius humani generis malis que, non dicam singula sparsim  
flere sed simul omnia cogitare difficile est, omissa que nos propius  
premit infelicis Italie tempestate, ipsam nostrarum egritudinem  
medullarum atque intestinum ulcus attingam, dicam quod nondum  
forsan audieris, quodque maiori dolore an pudore sim dicturus  
extima.

[4] Siquidem per hos dies Venetorum classis, de more annuo  
Cyprum atque Alexandriam petens, dum creteis nuper fidis ac  
subditis nunc hostilibus esset depulsa litoribus, ad oppidum cui  
Sithie nomen est in extremis insule finibus, qua minorem scilicet  
Asiam et minorem prospectat Armeniam, manus iuvenum  
nostrorum, iustissimo quidem odio nefarie rebellionis accensa, sed  
ut res docuit plus impetus habitura quam consilii, aquandi seu  
proposito seu pretextu in terram egressa, cumque aquatione  
prohiberetur, bipartito agmine muros aggressa est, tanto ardore ut  
iam ea pars oppidi, quam alexandrinarum navium ductor invaserat,  
et natura et arte prevalidis diffisa menibus inque humiles preces  
versa, supplicum more protentis manibus, spem salutis in ditione  
reponeret. Denique actum erat, ni repente pars altera, quam classis  
cyprie dux agebat, quasi non Cyprum petens sed in Cypro nata,

paucis armatis imo inermibus greculis proximo in colle conspectis, leporino ac degeneri et indigno metu, sine vulnere, sine ferro, quin et sine strepitu terga vertisset. In qua fuga primo attonitis novitate rei vixque sibi credentibus quod videbant, deinde resumpto animo erumpentibus oppidanis, nostrorum quidam gladio, alii undis absumpti sunt. Naves sparse; reliquie perierte. Ita horum ignavia aliorum virtus irrita prope iam parto caruit effectu, damnumque vetus novo dedecore cumulatum est. Quod si pars hec aut domi mansisset aut alteri simul illuc isset, non illius tantum lucis sed totius belli instantis momentum ingens parvo discrimine querebatur. Hec tibi, amice, et scituro graviter et gravius nescituro nota facere volui. Que sic esse et inde michi, illius qui celsa de puppe cunta oculis vidit, communis amici literis nuntiatum, et hic passim indignantis populi murmure lamentisque compertum est. Quibus in malis hoc unum boni cogito ut, sicut caudinam ignominiam in Samnites, Athilii supplicium in Penos, Mancini obbrobrium in Numantinos, civium suorum mortes in Mithridatem, Auli fedus et fedam fugam in Iugurtham ulta est Roma, ita hec urbs, ante alias nunc amica iusticie, multiplicatis iniuriis exacerbata et ob id native parumper oblita dulcedinis, cruenta perfidie ultrix acrior potentiorque consurgat in illos patrie proditores, quos Venetos putabamus — quid non dies longior mutatique celi qualitas potest! — Cretenses invenimus, non presenti tantum nostro sed antiquo tam poetico quam apostolico testimonio infames. Fefellit nos aspectus exterior; pectoris latebras introspiciere non est mortalis obtutus. Habitu ac nominibus Veneti, proposito atque animis hostes erant, quos vivos ac mortuos male perdat mendaciorum et nequitie ulti Cristus.

[5] Iam quod ultimum de me petis breve est. Non potest michi privatim bene esse, cum publice male sit. Ut tamen ex fide iustus, sic ego peccator ex spe vivo. Venit unde non timebatur excidium; veniet unde non speratur auxilium. Misit nobis rex tartareus proditorem;

mittet rex celestis ultorem. Iustissimo enim bello dux fortissimus queritur, nequid nescias noster ille Fabritius veronensis nulli nostrorum temporum bellicis artibus secundus: hoc unum in consiliis omnibus nunc agitur. In quod quidem tua patria uti opera dignatur mea, quod esse me illi amicissimum notum est. Proinde cum Laurentius vester dux illustris, et cognomine Celsus et re celsior, illum per literas reipublice verbis arcesseret, ego meas iussus addidi, quo facilius amici monitu et privato fulta consilio publica eum flectat autoritas. Quem si dedisse dextram senseris, cum illo duce confidito nostrum limen et victoriam subiisse. De reliquo autem si hac animi egritudine liber sim, corpore valeo, etsi morem nosti: usurpo enim per contrarium illud Hanibalis «caloris ac frigoris patientia par»; haud aliter hercle est, verum ille utrumque ego neutrum pati possum. Estas me conficit; siquid deest hiems perficit, utraque hostis usque adeo, ut altera rediens desiderium ferat alterius. Sic in rebus humanis semper odiosius quod est presens; et preteritum quoque dum aderat odiosum fuit, futurumque cum venerit odiosum erit. Sola rerum vel memoria vel expectatio dulcis est, ut facile iudices quanti sint extimanda que nisi absentia non delectant. O iocunda semperque eadem celestis habitatio, ubi nec preteritum aliquid nec futurum sed presentia cunta sunt, ubi nil requiritur nil speratur, sed gaudetur de vero ac presenti bono, ubi quod semel placuit semper placet semperque est placitum, immutabile atque eternum, quod fruentis desiderium sic lenit ut non minuat, sic complet ut non finiat, sic refrigerat ut accendat; cui demum non satietas surrepit ac surrepere nunquam potest, non defectus, non alternatio, non solicitudo vel molestia ulla metuitur. Felix viator qui illuc tandem misericordia duce pervenit. Nos hic sumus adhuc, ubi diversa sunt omnia, miseri quidem nisi animum spes et patientia solarentur. Vale.

Venetiis, VIII Idus Decembris.

# Liber 4

3

## Ad Petrum Bononiensem

*Ad Petrum Bononiensem rethorem, de victoria Venetorum sacrisque et ludis ob eam actis.*

[1] Etsi, presens animo, corpore proximus, pene auribus strepitum plausumque, pene oculis fumum pulveremque haurias ludorum, et siquid notitie defuerit nocte dieque commemorantium viva vox suppleat, credo tamen te cupide meis literis percepturum que cupidius spectaturus fueris, nisi hanc tibi pulcerrimam voluptatem morbus corporis invidisset. Nam quod, oro te, pulcrius sive quod iustius spectaculum fingi potest, quam iustissimam civitatem, non de vicinorum iniuriis, non de simultatibus civium aut rapinis ut reliquas, sed de sola iustitia gaudentem cernere? Augustissima Venetorum urbs, que una hodie libertatis ac pacis et iustitie domus est, unum bonorum refugium, unus portus quem bene vivere cupientium tyrannicis undique ac bellicis tempestatibus quasse rates petant; urbs auri dives sed ditior fame, potens opibus sed virtute potentior, solidis fundata marmoribus sed solidiore etiam fundamento civilis concordie stabilita, salsis cincta fluctibus sed salsioribus tuta consiliis: nolim credas de recepta Crete insula que, vetustate nominis ingens licet, tamen ingentibus animis parva est — et parva preter virtutem omnia quamvis maxima videantur — sed de eventu qualem esse decuit hoc est non de sua sed de iustitie victoria glorietur ac gaudeat. Nam quid magnum viris fortibus hac potentia et hoc duce atque his terra marique militie magistris viciisse inermes greculos et nequitiam fugitivam? Magnum est quod nostra etiam

nunc etate tam cito fortitudini fraus cedit et virtutibus vitia succumbunt, quodque nunc etiam Deus curat atque aspicit res humanas. «Ego Dominus» inquit «et non mutor». Et rursus: «Ego» inquit «sum qui sum». Non esset autem vere ac plene, siqua ei mutatio inesset; quod fuit «idipsum» est, neque a casu hoc illi nomen tribuit Psalmista. Quod insuper fuit quodque est, idipsum erit semper; imo quidem neque «fuit» neque «erit» illi proprie convenit sed «est» tantum; simili modo et quod scivit scit, quod voluit vult, quod potuit potest. Id si cui unquam dubium fuisse, eo quod vel culpis hominum manifestis vel occulto Dei iudicio negligi quandoque mortalia visa essent, ecce ut nuper incruente facilisque victorie mira celeritas declaravit. Que tanta fuit, ut perfectum antequam ceptum bellum, quod de Illiriis olim Rome, nunc de Cretensibus Venetiis audiretur. Hinc ergo gaudium, hinc triumphus.

[2] Longum neque occupati atque humilis stili est totam sacre seriem letitie verbis amplecti. Rerum summam accipe. Cum ad. II Nonas Iunias anni huius millesimi trecentesimi sexagesimi quarti, hora ferme diei sexta, forte ad fenestram starem maria alta prospectans, essetque una frater olim meus nunc pater amantissimus patracensis archepiscopus qui, autumni principio ad sedem propriam transiturus, propter immotam fortune favoribus caritatem hic in domo sua, que mea dicitur, hanc agit estatem, subito longarum una navium, quas galeas vocant, ramis circumfulta frondentibus portus ostia remis subit, inopino prospectu nostrum colloquium interrumpens. Ilicet augurium cepimus leti aliquid rumoris illam vehere, sic tonsis vada frangebant velis naute alacres, et frondibus coronati iuvenes leto nutu vexillisque super verticem agitatis e prora ipsa victricem sed adhuc ignaram rei patriam salutabant. Iam peregrine navis adventum, signo dato, summe turris excubitor nuntiarat. Itaque nullius imperio sed noscendi desiderio ad litus e tota urbe concursum erat. Cum vero iam proprietor facta et subiecta

oculis res esset, advertimus signa hostium de puppe pendentia, nichilque iam dubii supererat, quin victorie nuntia navis esset. Necdum tamen belli, sed prelii cuiuspiam aut capte urbis alicuius victoriam sperabamus, neque quod erat capiebant animi. At ubi in terram egressi nuntii verba in Consilio fecere, supra spem supraque fidem leta omnia: victi enim cesi capti et fugati hostes, cives vinculis eruti, urbes ad obsequium reverse, reimpositum Crete iugum, posita arma victricia, pactum denique sine cede bellum et pax parta cum gloria.

[3] Quibus cognitis dux Laurentius, vere celsus vir, nisi me forsan amor fallit, et magnitudine animi et suavitate morum et virtutum studio superque omnia singulari pietate atque amore patrie memorandus, sciens nil rite nilque feliciter fieri, nisi sumptum fuerit a religione principium, in laudes Dei et gratiarum actiones toto cum populo se convertit perque urbem omnem sed conspectius in basilica beati Marci Evangeliste, qua nulla ut reor usquam pulcrior, factum est quantum fieri per hominem Deo potest, sacris celeberrimis et processione insigni ante et circa templum habita, ubi non solum populus clerisque omnis affuit, sed prelati etiam externi quos hic vel casus aliquis vel videndi amor vel vulgata devotio detinebat.

[4] Peractis eximie que ad rem divinam pertinebant, in ludos ac spectacula versi omnes. Operosum fuerit enumerare quot ludorum species, que forme, qui sumptus, que solemnitas, quis ordo, ut — quod in re tali rarum valde et mirabile — nullus usquam tumultus, nulla confusio, nullus rancor, sed omnia plena leticie, plena gratie, plena concordie atque amoris. Et sic magnificentia regnum suum tenuit, ne inde modestia ac sobrietas exularent, sed in sua illa urbe et in sua festivitate regnante regerent frenarentque. Multos quidem festos dies vario apparatu celebritas hec deduxit, duobus tandem tota res ludis clauditur; quibus ego nunc propria nomina latina non

habeo; dicam tamen ut intelligas. Alter nempe discursus; alter concursus, ut arbitror, dici potest. In altero enim recto calle decurrunt singuli; in altero singuli singulis hinc inde concurrunt; uterque ludus equester, sed inermis primus, nisi quod hastis et clipeis decurrentes sericis exuvii vento effusis quandam bellici actus imaginem representant, ac secundus armatus et duelli species quedam est. Itaque in illo quidem elegantie plurimum, periculi minimum; in hoc autem artificio par discrimen, unde non sat proprie «hastiludium» Galli vocant, quod nomen primo magis convenit; illo enim vere luditur, hoc certatur. Ceterum in utroque, quod narranti alteri vix me credulum prebussem, sed nunc oculis meis credo, magna et mira prorsus industria, non ut mundo persuasum est nautice atque equoree sed militaris ac martie gentis, eminuit: ea equitandi tractandorumque ars armorum, ea demum estus et laborum patientia, que quibusvis acerrimis terre bellatoribus satis esset. Uterque ludus in platea illa, cui nescio an terrarum orbis parem habeat, ante ipsam marmoream atque auream templi faciem exhibitus. Et priori quidem ludo nemo externus interfuit: quattuor et viginti nobiles adolescentes, forma habitu et etate conspicui, hanc sibi partem letitie delegere, accersito Ferraria Thoma Pombasio. Qui, ut posteris breviter notus fiat, siquid ego apud illos aut notitie sum habiturus aut fidei, talis est hodie in universa Venetia qualis quondam Rome Roscius, michi vero tam carus tamque familiaris quam Tullio ille fuit, etsi ut in altera quidem harum amicitiarum parte proportio ingens, sic in altera multa sit imparitas. Ceterum huius ductu et consilio ludus hic actus et peractus tanto est ordine, ut non homines currere sed volare angelos iudicares. Mirum spectaculum tot ephebos ostro atque auro vestitos cernere tot aeripedes ac fulgentes faleris equos sic regentes frenis sic urgentes stimulis, ut vix terram pedibus tangere viderentur; atque ita sui ducis edictum presentibus animis observantes, ut hoc ad terminum

propinquante ille claustris erumperet, ille autem se cursui prepararet; qui, alternatione hac et summa omnium paritate in circulos re digesta, unus isque perpetuus cursus erat, dum unius finis principium esset alterius et desinente ultimo rursum primus inciperet ita ut, cum multi tota luce currerent, sero unum dices cucurrisse. Et vicissim nunc hastarum fragmina celo volitantia, nunc vento crepitantia cerneret signa purpurea. Nec dictu facile nec credibile est auditu quenam ibi in dies hominum frequentia: nullus sexus, nulla etas, nullus status defuit. Iam dux ipse cum immenso procerum comitatu frontem templi supra vestibulum occuparat, unde marmoreo e suggestu essent cuncta sub pedibus; locus est ubi quattuor illi enei et aurati equi stant, antiqui operis ac preclarri, quisquis ille fuit, artificis, ex alto pene vivi adhinnientes ac pedibus obstrepentes. Neve estivus sol pronus ad vesperam aut calore offenderet aut fulgore, diversicoloribus auleis usquequaque pendentibus provisum erat. Illic ego rogatus, que crebra dignatio ducis est, ad dexteram eius sedi; verum bidui spectaculo contentus, de reliquo occupationem nulli incognitam excusavi. Infra vero nichil vacui; non, ut aiunt, milii granum in terram cadere potuisset; platea ingens, templum ipsum, turre, tecta, porticus, fenestre non tantum plena sed conferta omnia et condensa. Inextimabilis atque incredibilis populi multitudo terre faciem tegebat, et subiecta oculis urbis florentissime numerosa simul et culta fecunditas festi letitiam geminabat, ut nil penitus plebi esset in tanta iocunditate sui ipsius aspectu et contemplatione iocundius. Erat ad dexteram ingentis in morem pulpiti contextum trabibus solarium, ob id ipsum tumultuario opere erectum, ubi ex omni flore nobilitatis honestissime electe quadringente nurus, insignes specie atque ornatu, et spectaclis meridianum et quotidianis quoque conviviis matutinum ac serotinum ornamentum consessu sidereo prebuere. Intervenere preterea, quod debere silentio tegi negat, in has terras

casu nuper advecti e Britannie partibus nobilissimi quidam viri comitesque et conseguinei regis sui, quos recenti victoria exultantes peregrinatio huc transmarina contraxerat, quique se se interim labori equoreo vegetabant. Hunc multorum dierum equestris illa decursio finem habuit, cuius premium solus honos fuit: isque tam ex equo unus omnibus ut, cum victor quisque, nemo victus merito dici posset. Alteri autem ludo, quod neque tam pari eventu et periculo maiore agitandus, et in partem venturi advene erant, alia statuta sunt premia: corona magni ponderis puro ex auro gemmisque fulgentibus victoris decus, dehinc balteus argenteus preclari operis, quo se munere solaretur qui secundum locum glorie meruisset. Iam edictum, militari quidem ac vulgari stilo scriptum sed ducalis bulle testimonio insigne, per finitimas distantesque provincias missum erat, quo acciti ad equestrem illum quem cuncursum dixi omnes qui talis glorie studio traherentur. Convenere autem multi non diversarum modo urbium sed linguarum, quibus et militie disciplina et virtutis fidutia esset et spes laudum. Cumque iam ludi alterius finis esset, hic ad. II nonas Augusti ceptus, quattuor diebus continua actus est tanta celebritate, ut post hanc urbem conditam nichil tale memoria hominum repetatur. Ad extremum et ducis et procerum et externorum militarium virorum, nominatim illius qui dux belli fuerat victorieque post Deum ac letitie auctor erat, concordi iudicio primus honor civi obtigit, secundus advene Ferraria profecto. Hic ludis sed non gaudiis prosperisque successibus, hic et epystole finis sit, qua id nitor ut, quod morbus eripuit, oculis tuis auribusque restituam, et ut noris ex ordine quid apud nos geritur, utque intelligas inter maritos etiam viros constare militiam et magnificentiam et excelsos animos contemptumque auri et glorie appetitum. Vale.

Venetiis, IIII Idus Augusti.

## Ad Petrum Bononiensem

*Ad Petrum Bononiensem rethorem, de famulorum pervicacia.*

[1] Venit ad me videndum socrus tua, venerabilis matrona cui si nil aliud suffragaretur quam quod filiam te dignam genuit, abunde erat ut non solum admittenda sed amplectenda animo et colenda esset ac dignis honoribus prosequenda. Quid te longius traham? famulos meos seu domesticos hostes nosti. Quamquam quid meos infamaverim, qui optimi omnium dici volunt? et fortasse famulorum optimi, sed profecto pessimi hominum sunt, ita ut cum quidam michi illos invideant, ego eos quasi intestinum malum et visceribus infusum virus exhorream. Famulos igitur nosti omnes; nullis descriptionibus opus est: professi servitium imperium exercent, imo vero tyrannidem importunam atque indignam. Mitto alia, non epystole sed annalium materiam. Centies non dicam iussi, sed oravi ut si quis ad me veniat, dum divino deditus officio sum, nisi vel persona admodum insignis vel aliquid magne rei sit, expectare iubeant; si dum studio intentus, neque passim omnes accipient neque excludant, sed discretione si qua esset uti velint hominum et causarum; at dum mense aut lectulo partem dedi confestim introeat quisquis sit. Nam et utrique breviandi causas afferre cupio et utrumque repetere post colloquium licet. In his sane ut in reliquis omnibus eius quod me velle norunt, contrarium faciunt, seu hec illorum perfidia seu mea sors est, seu eisdem forte quibus se sciunt me quoque victimum passionibus eisdemque subditum rebus putant, somno scilicet ac ventri, quamvis hanc suspicionem nec sermo meus nec, ut reor, vita recipiat.

[2] Sed ad hodierne seriem revertor historie. Erat hora diei sexta et ego, estivo de more, in cubiculum concesseram, quod nocti defuerat

a meridie exacturus. Hec ab illo primo nostri generis, non tam familie sue utili quam famoso parente, nobis superant: fames sitis lassitudo et somnus, sive hic brevis, sive ille perpetuus sopor, mors. Vixdum ergo, ut perhibent, hanc quotidianam mortis imaginem, somnum oculis carpere orsus eram, dum hanc illa, tuam quam inhabito domum adiit, me videndi avida quem non vidi hactenus et non visum amat. Responderunt hi custodes mei egregii consopitum me neque mendacissimum genus hoc mentiti sunt; sed nec letheus ille nec irreparabilis somnus erat. Quid faceret fessa mulier et grandeva — utrumque enim auguror — et, quod difficilius, festinantibus pulsa comitibus et magna in urbe semper plena populo, nunc advenarum turbis penitus exundanti quas huc dies, atque utinam non spectaculi videndeque pulcerrime urbis desiderium sed indulgentie annue pia spes et cum Christo ad celum mentibus ascendendi cura compulerit? Abiit ergo, fortunam suam accusans quod me cernere nequisset. Ego autem, experrectus, quid egerim, quid remedii ceperim, quid putas nisi ut tacitus indignarer? Nempe, ut aiunt, assueta non cruciant; imo quidem cruciant, sed parcus: callum habet consuetudo, durum certe at non impervium dolori. Dolui, et queri illam facere mens fuit, sed facilius Adrie in estu pisciculum quam hominem unum adriatica in urbe reperias, hac presertim die. Hec illi, precor, meis verbis dico, ne apud eam forte vel comites quod servilis nequitie fuit michi superbie tribuatur, et vale.

Venetiis, in die Ascensionis, ad vesperam.

# Liber 6

2

## Ad Iohannem de Certaldo

*Ad Iohannem de Certaldo, de seipso.*

[1] Animadverti ex literis tuis ad amicum missis te valde solicitum mei esse super negotio libertatis. Gratus michi, fateor, hic animus tuus sed non novus. Pone autem metum hunc et persuade tibi me hactenus, dum durissimo etiam iugo subditus viderer, liberrimum semper hominum et fuisse adderem et futurum esse siqua futuri notitia certa esset. Nitar tamen, et spero fore ne discam servire senex utque ubilibet animo liber sim, etsi corpore rebusque aliis subesse maioribus sit necesse, sive uni ut ego, sive multis ut tu. Quod nescio an gravius molestiusque iugi genus dixerim. Pati hominem credo facilius quam tyrannum populum. Id enimvero nisi semper sic fuisset, ut ubique liber agerem, aut me vita iampridem aut profecto vite tranquillitas ac iocunditas defecisset, cuius contrarii tu michi ante alios testis es. Servire equidem, nonnisi sponte atque amoris imperio, nulli diu valeam mortali. Quid ergo? nosti hominum mores et vite nodos et laqueos rerum, quarum perplexitates nec arythmeticus numeret nec geometra mensuret nec rimetur astrologus; sentiunt autem qui inter eas apertis oculis graduntur. Unde semper michi placuit et a me sepe laudatum est illud hebreorum sapientis breve sed gravidum plenumque sententiis: «Cunte» inquit «res difficiles». O quid ait? Cunte, inquam, etiam que perfaciles videantur. Sed inter cuntas res difficiles nulla difficilior quam vivere et presertim diu. Omnis hora et momentum omne novi aliquid fert, omnis passus suum lubricum suumque offendiculum et

scrupulos suos habet, quos calcare asperum, vitare difficile. Sed quo rapior inque rerum difficultatibus tempus tero? Infinita materia tibique non aliter nota, fortassis et notior quam michi. Linquo alia. Certe Africanus maior, ut vides, conservatione diutina viluit in oculis Romanorum. Quid minores putas in oculis aliorum? Crede michi, multis maximeque egris expedit interdum volvi nec est inconstantis sed prudentis pro varietate ventorum et tempestate negotiorum vela flectere. Non possunt literis cunta committi. Sed si que novi omnia et tu nosses, suaderes — certus sum — non dico ut discederem, sed ut quandoque secederem viteque fastidiis locorum alternatione consulerem. Proinde Deum ora ut fabelle huius nostre, que vita dicitur, finis bonus et sibi placitus sit. De reliquo ne desperes me, celesti luce illustrante oculos et signante iter, electurum vel quod melius vel quod minus malum. Restat ut noveris Homerum tuum, iam latinum et mittentis amorem et transferentis michi memoriam ac suspiria renovantem, ad nos tandem pervenisse meque et omnes seu Grecos seu Latinos qui bibliothecam hanc inhabitant replesse gaudio atque oblectatione mirabili. Vale mi frater amantissime.

# Liber 9

## 1

### Ad Urbanum quintum

*Ad Urbanum quintum romanum pontificem. Gratulatio pro reducta in suam sedem ecclesia et exhortatio ad perseverantiam.*

[1]

«In exitu Israel de Egipto, domus Iacob de populo barbaro» facta est in celis gratulatio angelorum atque in terris hominum piorum. Ecce, pater beatissime, beasti, quod in te est, christianum populum. Iam non ultra vagabitur aut Dominum aut vicarium Domini sui querens, sed illum in celo sursum et in anima sua intus, quoniam utraque sedes Dei est, hunc in terra et in propria sua sede reperiet; illa inquam sede quam Dominus preelegit, in qua et vivens vicarius primus sedit et moriens resedit. Orbem nostrum serenasti et quasi sol oriens longe noctis algorem simul ac tenebras effugasti. O felicem te, conscientia tam preclari operis fecisti quod iam impossibile homini videbatur; sed Deus procul dubio tecum fuit, is qui ait apostolis: «Sine me nichil potestis facere». Hoc in te rarum et eximium, quod cum Deus ipse, amator et conditor humani generis, multis imo omnibus se offerat, ab omnibus fere repellitur; mundus, caro, demonia, superbia, voluptas ac nequitia oppressere animos, ut assurgere porrigenti manum Deo nequeant; tu imbecillitatis conscius humane, non modo non repulisti Domini celestis auxilium neque tibi ad aurem cordis salubria inspirantem consilia spiritum extinxisti, sed invocasti eum, scio, piis precibus lacrimisque potentibus celum flectere; quas cum ille qui nullum in se sperantem despicit auribus atque oculis percepisset et poscenti opem latus advenisset, existi ei

obviam, et manu prehensum Dominum tuum intimo in thalamo fidelis anime devotione humili suscepisti; idque secretius ne, comperto adventu regis glorie, sui et tui hostes obstreperent et ut soliti sunt pium sanctumque principium impedirent. Inde, ubi secum in silentio deliberans que agenda essent in illo tuo nobili et glorioso proposito confirmatus es, in apertum exiens illo duce magnum opus aggressus supra omnium spem magnificentissime consummasti. O iterum te felicem, o felicem diem qui te matris ex utero in lucem edidit et ceu benignum sidus aliquod mundo dedit. Nunc verus michi, vere summus ac romanus es pontifex, vere Urbanus, verus Petri successor, verus vicarius Iesu Christi. Eras et ante, non inficiar, potestate, dignitate atque officio; nunc, quod est optimum, voluntate, pietate atque exercitio. Neque enim aut voluntas sanctior aut purior pietas esse potest homini quam tibi est semperque fuit, ut puto, sed nunc ita rebus ipsis eminuit ut iam nemini esse possit occulta, neque a quoquam promptius posset aut cautius in actum deduci, sine quo quidem sterilis est voluntas. Quinque pontificum statu parium non animis et sexaginta vel eo amplius annorum negligentias unus tu diebus paucissimis emendasti. Permitte michi, oro te, qui preter tuam benedictionem nichil ex te cupio, nichil peto, sine adulationis suspicione pleno ore laudare quod plena dignum laude censeo, memor quanta cum libertate arguam quod reprehensione dignum iudico. Parvus vermis, non modo terrarum dominos sed duo illa mundi luminaria duosque illos gladios iusticie sepe olim et te ipsum nuper horum alterum ita pupugi, ut aut multa esset fides aut multa dementia. Huius ultimi iudicium aliorum sit, ego michi fidei sum conscius. Opto ut bene eant res humane, ut quas in statu pessimo vivens vidi, in optimo moriens relinquam, siquo fieri potest modo; quod certe post Deum nisi per te atque illum alterum temporalia moderantem nullo modo fieri posse video aut spero. Profecto autem si pungere audeo, cur

ungere metuam? Utrumque enim medice manus est proprium, utrumque ego pari fide facio, etsi neutro forsan idoneus. [2] Evidem licet pauca didicerim, multa legi, multa etiam in hoc vite stadio decurrenti visa michi vel audita commemini, et Christum testor veri Deum nichil me vidiisse unquam vel audisse nostro gestum evo, nescio an et nichil etiam legisse, quod his tuis excellentissimis actibus comparari queat, vel intentione vel consilio vel effectu. Magna pars principum et, quod mestus dico, magna quoque pars presulum nil preter se ipsos et utilitates suas ac proprias voluptates cogitat. Tu contemptis magno animo atque oblitis affectibus, qui ut hominem alio forsitan te trahebant, solus omnium pontificum nostre etatis bonum publicum cogitasti. O vir ingens, sine exemplo temporum nostrorum vel raro nimium cum exemplo, qui virtutem sic amare, sic voluptatem spernere potueris; etsi veris extimatoribus nulla sit voluptas gratior quam que de Deo et de virtute percipitur, et, quod constat, nulla sit certior, nulla longevior; sed loquor de voluptate vulgari, qua nil repugnantius est saluti. Illa quidem viatores quinque qui te in hoc ordine preierunt a recto calle terrenis illecebris uncisque carnalibus sinistrorum egit. Nunc intelligunt quanto fuit melius rationem quam appetitum sequi, et rebus implere quod polliciti erant nonnulli ex eis, quamquam debiti missio supervacua sit; quanto fuit honestius agere quod tantum exigebat officium, quam quod lubrici titillabant sensus postridie perituros, neque adversus veritatem fictionibus certare, et cum illo ludere, de quo scriptum est: «Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium». Nichil est minus Romani pontificis quam duplicitas aut fictio, cuius et conscientia sole lucidior et constantia perseverantior esse debet, ut, quod de romano quodam duce ab hoste etiam dictum fertur, a suo cursu facilis sol flectatur quam a suo ille proposito ac progressu actuum piorum. Tu verus pater ecclesie nichil verbo multum corde

pollicitus ipsam ecclesiam egrotantem sentiens, expertorumque consilio medicorum usus, ex infecto exilio ad originis illam sue locum et ad aerem proprium reduxisti. Non tamen id tam facile a te gestum quam a me facile dictum est. Magnus labor fuit, magna sedulitas, ingens ars mirumque alti pectoris acumen uno attractu totam validas radices sine offensione convellere. O quid loquor? imo vero cum offensione acerrima et multorum dolore gravissimo, sed docta manus ac suavis asperrima vulnera leni tactu mitigat. Gratias igitur Deo et tibi. Ecce, video quod semper optavi, nunquam, fateor, speravi. Video matrem meam sua in sede, ubi te sospite diu egra esse non poterit; te iubente reducta, te curante sanabitur. Intende illi nunc, alme pater, toto sacre mentis ingenio, quod tibi remediorum feracissimum is dedit, qui sponse necessitatibus et tanto te predestinavit officio. Mores corrige, medere langoribus, avaritiam frena, pelle procul ambitionem, sobrietatem perditam depulsamque restitue, fluxam siste libidinem, urge languidum torporem, fervidam iram stringe, reduc cecam ad rectum iter invidiam, supercilium elatum et tumidam compesce superbiam. Quod non facile potuissent qui has inter pestes educati consuetudinem in naturam verterant. Tibi inter virtutes his contrarias enutrito, erunt cuncta facilia. Quod difficillimum fuerat perfecisti, age iam reliqua. Reduc ecclesiam tue creditam custodie in antiquos mores, quam in sedes pristinas reduxisti, ut undique fiat irreprehensibilis et qualis olim fuit toto orbe venerabilis esse rursus incipiat, ac dilecta, quod diu certe non fuit, eorum pace dixerim qui in culpa sunt. Tu ad hoc natus ministerium gloriosum imple feliciter. [3] Admone cardinales tuos omnes ac singulos ut meminerint se esse mortales, ne semper delicias, sed quandoque mortem cogitent et eternam vitam; figant oculos, videbunt nichil stare, sed brevia et vento velociora omnia totumque quod hic vivitur anceps, varium, tremulum, caducum, ubi curis inanibus et fallaci spe quasi in solido pedem ponunt rerumque

contemptibilium curiositate ridicula conflictantur. Audio enim, quo nil possem tristius nilque indignantius audire, quosdam ibi esse qui murmurent se beunense vinum in Italia non habere. Nunquam fuissent utinam vites ille, paulo minus dixerim vites ulle, si Christi ecclesie venenosam usque adeo vindemiam pariture erant. Sed, o si habeant caritatem Dei et hominum, si Petri sedem, si fame decus, si salutem populi, si animas suas ament, quam modicum id curabunt. Sed ut curent, quod opinari etiam grave est cuiusque, an illos nescio, me illorum vicem pudet. Quod si penitus curant, neque hic error affixus precordiis extirpabilis ulla vi est neque ulla arte medicabilis, ad habendum certe quod adeo inhianter sitiunt, aperta et facilis est via, de quo satis, ut arbitror, epistola ad te priore disserui, si unum adiecero, quod ne ullo pacto sileam licet obstante reverentia dolor cogit. Primi siquidem apostoli, quorum isti locum tenent, ubinam corporis sui sanguinem pro Christo in terram funderent pio studio querebant, itaque fere nullus incruentus celum adiit. Heu michi, mutata rerum facies, modernis apostolis diversum studium, ubinam scilicet terre sanguinem palmitum venis expressum suo infundant corpori. Neque in conviviis tantum, ubi locus ipse fortassis veniam mereretur, sed in seriis quoque colloquiis prima rei huius est mentio, non que bonos viros, sed que bona vina tellus ferat. Illa omnibus prefertur, illa Syon, illa Ierusalem, illa denique Roma est, sola digna quam apostolorum inhabitent successores. Atque idipsum saltem, cui vino palma deberetur, recte utinam iudicarent! Non tam diu terris omnibus prelata esset Avinio, non sine multarum nobilium gravi urbium iniuria. Ibi enim boni nichil esse nisi aliunde advectum notius est quam ut probari egeat. Sed obiciunt fluvium, qui et ipse ante mille annos utinam aruisset, seu potius nunquam terre visceribus erupisset, si ecclesie Christi causam datus erat exilio. Ita vero de hoc fluvio fabulantur quasi alias nusquam sit. Sane si veteres historias legant, non pontificum Romanorum sed reorum atque

exilio damnatorum sedes est Rodanus, quem isti nescio cur ut paradisi fluvium venerantur. Imo plane scio, quia scilicet vinum beunense convectat, quintum nature additum elementum. At tu in pane et aqua dudum alte felicius, qui poscam in delitiis habuisti, suscipe super his paternam iracundiam, increpa, argue, reprehende, castiga, pone frenum appetitui alieno, qui iampridem tuo proprio posuisti. Solent vitiis irasci maxime qui his carent, vix ad plenum sontibus culpe particeps irascitur; neque vero quisquis irascitur ulcisci potest; et zelo et potentia opus est. Tibi quidem monasterium, heremus, religio et iejunium dederunt, sed pre omnibus illa de qua multa libens audio naturalis atque innata frugalitas, ut gule irascereris. Papatus tribuit ut castiges. «Qui regis Israel intende, qui deducis velut ovem Ioseph», ne lasciviant oves vide, pastor gregis egregie. Et memento, quamvis graviora sint alia, duo tamen hec vitia esse que maxime bestiale ac clinemque humi faciunt humanam vitam: gulam atque luxuriam. Doce fratres ac filios tuos spernere que amabant, amare que metuunt queve oderunt, odisse seipso qui tam diu oderint quod amandum erat. Dignum literis aureis Augustini verbum est: «Nemo potest perfecte diligere quo vocatur nisi oderit unde revocatur». Et post pauca: «Nec fiet quisque qualis cupit esse, nisi se oderit qualis est». Ostende sensibus vagis, adhuc malas domos Rodani et palustria rura querentibus, loca illa salubria, ubi effectum est quod ianitor celi, doctor orbis pariter, ut de utroque canit ecclesia, iudices seculi, vera mundi lumina, per crucem alter, alter ense triumphans vite senatum laureati possident. Ostende illis digito non procul inde ab illius ingentis ac devote foribus basilice, ubi Simon Petrus ascendit in crucis patibulum, unde clavicularius regni gaudens migravit ad Christum. Ostende paululum distantius ubi Paulus apostolus lumen orbis terre inclinato capite, pro Christi nomine martirio coronatus est. Hec enim sepe de suis ducibus cecinerunt ac legerunt, loca sancta, ut arbitror, non viderunt. Que

cum viderint heserintque animis, pudebit, ut spero, prophanorum et infamium locorum ad que non recto iudicio sed obliquo affectu et longo usu amorem immeritum conceperunt. Iube illos cogitare atque internis spectare oculis venerandum ac sanctissimum senem Petrum non peregrini vini cupiditate sed iusto metu mortis absterritum abire; dehinc calle medio Christum illi obvium, quo conspecto statim verbo unico, ut aiunt, ad certam mortem intrepidus remeavit. Videant illum ipsum mox in cruce pendentem, per quem ipsi sedibus aureis ac scabellis eburneis insistentes accepisse se sentiunt, nisi ingrati sint, quicquid habent excellentie, quicquid opum, quicquid glorie. Post aspiciant mentibus gloriosissimi Pauli truncum caput, vas electionis, doctrine celestis armarium, limpidissimum fidei nostre solem. Illum cordis auribus audiant, ipsa de morte altis Iesum vocibus novissimisque spiriis invocantem. Miraculi testes eximii fontes ibi sunt totidem quot saltus dedisse sacrum caput fama est, his ipsis in locis que cesa cervix attigerat. Si devote voces illas audierint, deque his fontibus pio haustu biberint, et simphonias transalpinas spernent et non siticulosos modo fonticulos qui sunt ad Rodani angulos non requirent, sed succedet, ut spero, sitis altera et eterna vini beunensis oblivio. Quod scriptoribus rerum et veteribus et novis incognitum nec usquam inter vina nobilia numeratum, ab his autem immodica et indigna laude ceu deorum nectar celebratum, meruit ut a me nunc iuste nisi fallor quamvis premordaciter notaretur; et licet gustui sapidum, quia saluti tamen adversum est, ceu dulce virus aliquod omnibus virtutem sitientibus odiosum sit. Et hoc tamen haberi etiam Rome potest nullo negotio ut dixi et sine hoc non tantum parce et sobrie sed profuse et voluptuose etiam vesci licet. Habent vero multa sub oculis, nisi oculos obstruant, que vel terrestris vie vel celestis patrie gloriam cogitantes nobiliori quodam sapore permulceant. [4] Sed quoniam de his sepe multa loqui contigit hortante materia et infinita res est sacra miracula alme

urbis amplecti, totum hoc tue providentie relinquens, ad id redeo quod in te michi mirandum laudandumque delegeram, quamvis ut verum fatear promptior sit admirationi animus quam expressioni stilus. Assurget tamen ut quod ille intus loquitur hic describat legendumque aliis offerat quocumque caractere, modo ut intelligar, nullam hic eloquentie famam quero. Sentio ego, pater beatissime, difficultates ac labores tuos, quos in executione preclarissimi operis passus es. Non aliter, inquam, illos sentio quam si omnibus interfuissem. Audire michi videor cardinalium blanditias ac susurros ex condicto sacratissimis tuis auribus ingestos, ut ab incepto dehortarentur teque inde retraherent quo cunctantem urgere affusi ac supplices debuissent. Quorum certe propositum admirari cogor nec mirari satis possum. Stupor ingens, monstrum incredibile, romane ecclesie cardinales sic romanam urbem, romanamque ecclesiam vel odisse vel formidare vel spernere. Quis enim preter hos solos fuit unquam, qui suum titulum gloriosum presertim atque utilem non amaret? Novum prorsus ac triste prodigium, viros tante reverentie tanteque sapientie ac doctrine in solam matrem optime meritam duros esse et, si dici licet, impios. Qui ut brevissimas fugacissimasque reliquias incerti temporis in loco pessimo sed dilecto exigant, non attendunt quid sibi, quid ecclesie, quid humano generi expediens, quid placitum Deo sit. Preter enim paucos italos qui, ut puto, expectabant redemtionem Israel et qui in exilio vixerant, in sua et communi omnium patria mori optabant, preterque germanum tuum unicum, qui, tecum ab infantia nutritus teque mirari et imitari solitus, nil omnino aliud quam tu velle didicit aut nolle, ceteri omnes sic exilii finem ut principium horrebant. O consuetudo cunctis in rebus potentissima, de patria exilium, de exilio patriam fecisti. Que omnia libentius ut par esset, his scripsisse quos hec tangunt, nisi et numerus capitum et olim michi notissima elatio animorum respuens indignanter quicquid auribus delicatis infertur asperius obstitissent.

Illi igitur scripsi ad quem culpe omnis expertem pertinet sola correctio, quique non stili asperitatem sed rei veritatem neque conditionem sed intentionem scribentis examinat. [5] Procedo autem et hos transeo quos tuo iure compescere poteras vel si cepto hererent tuo itidem iure contemnere; ut tamen tua modestia nota esset omnibus hominibus, adversus hos quoque et perversas horum opiniones inflexiblesque sententias multum te laboris ac molestie pertulisse non dubitem. Illud notissimum ac maximum, quod reges ac principes quibus te pro ecclesie decore morigerum prebes, his consentientes, a te autem tota mente discordes suaviter graviterque ut iniqua vota deponerent admonendi erant. Ante alias inclitus rex francorum ecclesie filius qui, devoto quidem sed iuvenili amore matrem cupiens propinquam nec considerans quanto honestius ac melius abfutura esset, ad te abitum meditantem quos potuit laqueos direxit, quibus sacros pedes apostolicos ad omne pium sanctumque opus paratissimos implicaret: doctum scilicet ac disertum ut perhibent quandam virum, qui coram te ac fratribus tuis cupide nimis audientibus verba faciens, in eo partem maximam sue orationis absumpsit, ut celotenus suam Galliam attolleret, Italiamque deprimeret. Magnum opus atque arduum nec sibi tantum sed cuicumque difficile, ne dicam impossibile; nequit enim sermo hominum res mutare, etsi sepe mendacio verum velet. Et, o utinam, presens, te mandante, dignus fuerim qui licet impar eloquio et inferior statu veritatis auxilio fretus illi calumnie responderem. Ostendissem illi forsitan te iudice rem se aliter habere quam diceret. Et nunc si cause sue fudit deque hoc ipso literatum inire certamen est animus, quamvis semper occupatus et iam fessus, offero me duello pro veritate, pro patria. Scribat igitur vel que dixit vel que potest; ego illi gallo italorum ultimus respondebo, et erit utilior disputatio scriptis commissa quam verbis, verba enim fugiunt, scripta manent, illa ad paucos, hec ad multos, illa ad presentes tantum, hec etiam ad

absentes posterosque perveniant. Spero, iudicem Christum habens et te, convitiatori illi, viro alioquin docto et insigni sed in loquendo calore atque impetu animi prolapso quo non decuit, facile probaturum me falsa esse que minime ut auguror sibi mandata, de capite suo dixit. Nosse michi videor regis adolescentis canum et senilem animum ac precipuam quandam urbanitatem lingueque modestiam, magnis michi olim in rebus expertam. Iniunxisse illi crediderim ut te oraret, ut Galliam laudaret; iurare pene ausim, ut vituperaret Italiam non iniunxit. Sed hic nuntiorum mos quorundam est ut nisi de suo aliquid addiderint nil egisse videantur. Profecto autem multi sunt qui non credant sua posse laudari nisi aliena vituperent. Proinde ut breviter summa perstringam, de rebus ac gloria italorum et gallorum quidve inter utrosque intersit adeo notum est ut dubitari nequeat ab homine cui historiarum notitia ulla sit. Nam de ingeniis disceptare ridiculum, libri extant veri testes. Quid queso de liberalibus artibus, quid de rerum cognitione seu naturalium seu gestarum, quid de sapientia, quid de eloquentia, quidve de moribus et de omni parte philosophie habet lingua latina, quod non ferme totum ab italis sit inventum? Siquid enim externi de his rebus feliciter ausi sunt, vel italos imitati sunt vel in Italia scripserunt, in Italia didicerunt. E quattuor ecclesie doctoribus duo sunt itali ac romani, duorum reliquorum alter iuxta et prope intra Italie fines ortus, certe intra Italiam doctus ac nutritus, alter in Italia conversus et conversatus; omnes in Italia sunt sepulti. Nullus est gallicus, nullus doctus in Gallia. Ius utrumque quo utimur itali condidere, conditumque itali exposuere, ita ut horum nichil aut perexiguum exteris cedat, et in altero quidem longe grecos itali superant, de altero nemo est qui litiget. Oratores et poete extra Italiam non querantur, de latinis loquor, vel hinc orti omnes vel hic docti. Sed quid ago? aut quid rem certissimam verbis traho? Radix artium nostrarum et omnis scientie fundamentum, latine hic reperte

sunt litere, et latinus sermo, et latinitatis nomen quo ipsi gallici gloriantur. Omnia, inquam, hic exorta non alibi, atque hic aucta sunt. Possem singulatim de his agere, sed intelligentibus satis, reliquis nimis est dictum. Et quid, oro, tot tantarum rerum studiis quod obiciant habent? nisi forte, ut est gens sibi placens et laudatrix sui, unus his omnibus fragosus straminum vicus obicitur. Ad hec et omnis hic floruit politia et siqua usquam superest aliqua in parte Italie floret adhuc. Duo mundi vertices hic sunt, papatus et imperium. Iam de armis, de victoriis, de triumphis, de disciplina militie, de iugo denique gentium omnium ac tributis annuis loqui nolim ne perturbem gallicum ingenium. De moribus vulgaribus fateor gallos et facetos homines et gestuum et verborum lenium, qui libenter ludant, lete canant, crebro bibant, avide conviventur. Vera autem gravitas ac realis moralitas apud italos semper fuit. Et licet, quod flebile damnum est, virtus toto orbe decreverit, sique tamen eius sunt reliquie, in Italia, nisi fallor, sunt, siquid est perversi moris, inter ipsos est; nusquam advene tanto sunt in honore. Et de quo nemo, ne convitiator ille quidem, dubitet, nusquam tanta est ecclesia, seu potentiam illius seu devotionem non italici tantum sed totius credentis in Christum populi metiare, ut que hic orta, hic adulta, hic ad summum glorie culmen evecta est, hic Deo volente teque agente, ut spero, in perpetuum permansura. Est fateor gallicana pars ecclesie opulenta et nobilis, sed ecclesie caput ut imperii in Italia esse nemo sani capit is neget. Siquis horum est incredulus, romanum patrio titulum permutet; tunc quid fuerit sentiet, et quid sit interque supremum caput imaque membra quid intersit intelliget. Durum valde grande aliquid debere cui nolis. Si romani adeo nominis pudet, romanis abiciant dignitates et res suas ac patriam ut verbis sic electionibus preferant. [Ego vero sat insanus sim qui suadeam italicas ecclesiasticas dignitates suas abicere, quibus solis magni clarique sunt, his qui non suas italicas civitates ambiant atque usurpent

inaudita tirannide, stupente Petro, Christo autem mirante etiam ac minante. Et nisi ille de celo, tu de terra occurritis, quandoquidem incertum quo germine hausto itali consopiti sunt, actum est de rebus nostris, servam mox Italiam et perproprie quod dici solet ecclesiam militantem immo et armatam videbimus et pugnantem de imperio non de fide, denique etiam triumphantem priusquam ad celum arcusque sidereos sit perventum; et singulos clericos singulis urbibus triumphaliter presidentes; donec experrectis qui nunc dormiunt omnia deformentur et reformatur mutatione terribili. Quamvis autem probe neverim eos quod suadeo non facturos, scribo tamen interim ipse quod meum reor, quod tu alme pater intelligas; et ipsi si audiant forsitan moveantur. Et profecto si adduci possint ut patriis suis bonis contenti externum invisum pondus abiciant], erit hoc nobilis odii atque indignationis ingenue, potius quam id maxime spernere quo maxime gloriantur. Magis eliget vir fortis ac magnanimus feudum quamvis pingue deponere, quam ab inviso domino possidere. Certe Domitius ille captus ad Corfinium non opes aut dignitatem aliquam, sed qua nil est homini carius, vitam ipsam, quam a Iulio Cesare nolens ac tristis acceperat, ubi primum honeste mortis affuit facultas, volens ac letus importunum quasi pondus abiecit. [Expectavi ego fateor interdum ut hi nostri proceres idem facerent et urgente odio ac cogente superbia italica dignitatum nomina et invisa ornamenta deponerent. Sed ut video frustra expecto. Certum est consilium eorum et quamvis iniquum et ingratum vanum utique non est. Firmaverunt sibi sermonem nequam ut Italiam rodant simul atque oderint, incubent et contemnant; dumque hos laqueos absconderent dixerunt: quis videbit eos? Atqui ego eos video, vident mille alii, vident omnes. Quis tam cecus enim usquam est ut ista non videat? Vident, inquam, sed taciti omnes, immo muti. Ego etiam nisi michi vocem pietas patrie et rerum indignitas extorsisset, cum aliis tacuissem; et fortasse

consultius, memorans illud Crispi pueris quoque notissimum: «frustra», inquit, «niti neque aliud se fatigando nisi odium querere extreme est dementie». Scio enim me nequicquam loqui et sentio hinc michi magnorum hominum impendere odia. At profecto non maximi, cuius ex hoc certe non odium timeo sed amorem spero. Alioquin neque ego te tam fidenter alloquerer, nec tu me tam patienter audires; quod ex tuis ad me litteris atque a te venientium relatione cognovi. Neque demum ille essem quem te fama loquitur, mundus credit, ego etiam scio non verbis pro loquentium diversitate variantibus, sed rebus que mentiri nesciunt, fidem habens. Credant denique te alii qualem volunt, ego te scio et Christi cui in spiritu tuo servis et Petri cui in officio succedis et ecclesie cui presides et apostolice sedis cui insides, ad extremum totius christianitatis et in primis Italie amatorem. Quod nisi ita esset, nunquam tu ecclesiam ex inferno illo qui contiguus patrie tue erat, tot retrahentibus atque obstantibus, carnalium victor affectuum ad Italiam reduxisses; ubi si tu vixeris et in te sanctum vixerit propositum, nil ecclesie metuendum video, nil penitus non sperandum usque ad recuperationem etiam hinc sacre telluris et peculiari patrimonii Iesu Christi, hinc ecclesiastice libertatis; de quibus duobus tui isti consiliarii parum curant, modo voluptates proprie salve sint. Quibus ita se habentibus, totum hoc et laboris pondus et glorie humeris tuis sentis impositum: magnum opus, merces inextimabilis, infinita.] Proinde non satis attendit ille quidem eloquens licet vir quem alloqueretur, quam quidam partem primam dixere prudentie; quod si acriter attendisset non vituperasset eam mundi partem quam tu unice diligis et in qua tua et ecclesie potentia dignitasque fundata est. Nempe rem suam sibi caram ac precipuam parvipendi patienter forte aliquis, at libenter nemo audit. Plane quod de cibis Gallie deque vinis dixit ad quandam nisi fallor iniuriam audientium pertinuit. Ita enim apostolicos viros ceu totidem pisces aut volucres cibi obtentu

inescasse credidit ac cepisse. Nimis iam, pro pudor, hec per orbem fama vulgata est, in eligenda scilicet ecclesie sede voluptatum ac ciborum atque in primis vini copiam ac gustum ad consilium venire, quasi non de christiana religione, sed de bachanalibus consultetur. Heu michi, nec auditur Paulus ad Corinthios imo ad christianos clamans: «Nolite iugum ducere cum infidelibus. Que enim participatio iustitie cum iniquitate? aut que sotietas lucis ad tenebras? que autem conventio Christi ad Belial?» Addo ego indignans mestusque animi: que proportio Christi ad Bachum? Numquid ideo quia sacrificium altaris vino eget, Bachus erit christianorum deus? nec iam Christi preceptis ac monitis, sed Bachi delinimentis furoribusque parebitur? Heu michi ter et amplius, quid hoc est quod audio? Debuit sane contionatorem illum ab his nugis tue saltem sanctitatis reverentia, extimatioque modestie et conspecta tue frontis autoritas deterrere. Sed tu illi quidem ut te decuit brevibus verbis ac gravibus respondisti. Domino autem suo a quo missus erat nullo melius modo responderi potuit quam re ipsa. Non modo enim non distulisti destinatum iter, sed accelerasti, recolens sepe moras nimias magnis principiis nocuisse. Qui quidem rex si ut facit filialiter te amat et fideliter veneratur, gaudebit tandem ibi te esse ubi et tibi salubrius sis et mundo. Inest non sum nescius molle quiddam animis nostris ac tenerum, quo abesse nunquam volumus quos amamus; que res sepe et amati et amantis in perniciem versit. Est autem hoc puerile magis ac femineum quam virile. Viri enim non ubi sint, sed qualiter quos caros habent cogitant et malunt absentibus bene esse quam presentibus male, ut qui absentes corpore animo sunt presentes, illos audiunt, illos vident, illorum prosperitatis ubicumque participes. At muliercule puerique quos diligunt semper iuxta se volunt, nec avelli sponte unquam sinunt; non discernunt enim nec respiciunt finem, sola presentia ac iocis et confabulatione pascuntur, neque omnino alium ex amicitiis fructum querunt. Illi quidem

infamatori italici nominis tam ardenti ignoto licet, qui ad cause sue victoriam illud eximium arbitratus est si patriam suam abundantiorem ciborum quam Italiam assereret, quasi non ad religiosissimum summumque pontificem sed ad coquine magistrum Apitium loqueretur, multa possem respondere nisi me pigeret de tam humili tamque abiecta materia diu loqui, te presertim audituro. Sed si cum illo tantum michi res esset, efficerem forsitan ut puderet virum talem coram vicario veritatis tam multa locutum que veritas non probaret. Certe, quod omitti non debet, galli sicut scriptum est usum vitis et olee Roma iam adolescente didicerunt. Et quod constat, gens eadem frugum maximeque vini dulcedine primo Italiam ingressa innumerabili quidem cum exercitu multa et gravia bella nobis intulit, usque ad romane urbis tunc surgentis incendium. Sed precipitem atque effrenem gulam puniente Deo, sic ad ultimum strati deletique omnes, «ne quis extaret in ea gente», ut nobilis ait historicus, «qui incensam a se urbem romanam gloriaretur». Quod si mutationem temporum aut rerum fortassis obiceret, sic presentem illi et Italie copiam et Gallie inopiam ac defectus multiplices enudari inque oculos ingeri posse confido, ut non rubor eum solus, sed fames etiam sitisque corripiat. Et hec me, quod invitus facio, loqui compulit viri illius animosa procacitas atque iactantia; que si se attollere et parva pro maximis celebrare decreverat, quid nostra depressione sive ullis omnino convitiis opus erat? Nulli iniuriosum mendacium sed tantum proposito mentientis accommodum coniventiam sepe promeruit auditorum. At in alterius si prorumpat iniuriam, adversario vix carebit. Suscepi ego veritatis ac patrie communem causam inque angustias has coegi, quamvis et hec multos habeat his obiectis latius atque uberius responsuros, et illa pro se clamans mille ex libris, quin et ipsa rerum specie taciturna respondeat. [6] Alter michi nunc error ex ordine refellendus occurrit ad me nuper hec scribentem haud spernenda quidem narratione perlatus, esse ibi

quosdam tuorum cardinalium qui negari non posse consentiant magnum aliquid fuisse Italiam, nunc eandem fere nichil esse, librata parum ac prerupta nimis assertione diffiniant. Bone Iesu, que ista cecitas, que preci~~pi~~tatio est, qui livor, que ve impatientia, sic odisse ne id ipsum quod sic oderis videre possis, quamque odio dignum sit agnoscere. Est ne hoc forte perfectum illud odium quod psalmista commemorat? Imo vero longe aliud penitusque contrarium: perfectum enim odium est, sic malum odisse ut bonum ideo non oderis, sed diligas malo quamvis adiunctum; contra igitur sic malum amare ut bonum oderis, imperfectum pessimumque odium est, etsi magnum sit. Non quantitatem namque sed qualitatem odii signat ista perfectio. Si michi non creditur, Augustinum audiant loci illius expositorem: «Hoc est», inquit, «perfecto odio odisse ut nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas». Isti autem sic oderunt nos, ut et bona nostra siqua sunt et nostras utique optimas totoque orbe pulcerrimas regiones solo Rodani amore oderint atque accusent nec ad illarum speciem ac decorem circumfusum vel superficietenus intuendum aperire oculos possint. Mirum prorsus sed vulgare malum, ut qui in re aliqua vehementer erraverit, una animi ruina multis succumbat erroribus. Ecce quo nunc animos cogit inquieti amnis ac telluris inamene desiderium immensum, ut dum indigno affectu que sunt ima suspiciunt, maligno defectu que sunt summa despiciant, cumque urgente verecundia fateantur quod utcumque poterat negari, suadente invidia negent illud quod fateri presens veritas ac violenta compellit. Antiqua etenim si negentur, autoritati hominum ac librorum fidei derogatur, at negando presentia vero ipsi et intellectus ac sensuum testimonio resistitur. His itaque qui scientes contra verum litigant nil omnino, frustra enim surdo canitur, hebetavit iudicium voluntas. Reliquis siqui sunt qui ignorantia labi possent, hoc modo responsum sit: Italie caput Romam, nec Italie tantum sed totius orbis, multis

bellis ac cladibus interque alias longa suorum pontificum ac principum absentia extenuatam et attritam ac pene consumptam dolens fateor; cuius vastitas quantum non soli Italie sed membris omnibus hoc est mundo noceat et in primis christiano generi, vident omnes, nisi quorum livor tumorque oculos premit. Hec tamen ipsa urbs tot vastantium e manibus tibi celitus reservata, ni respuis, et divine gratie tueque virtutis adminiculo restauranda felicitatem tibi in celis eternam atque in terris immortalem gloriam allatura est. Potest haud impudenter optare nobilis opifex ut aliquid rebus desit, quo suum ingenium, sua ars, sua virtus appareat. De reliqua autem Italia quid dicam? nisi sententiam illam meam veterem et, ni fallor, veram. Non dico equidem quam nunc est memor universalis pestilentie illius cui nulla etas parem habuit, a qua vigesimus nunc annus agitur, que postea alternatim exhaustum disceptumque orbem quodam velut anniversario malorum torrente repetiit; sed non minus Galliam quam Italiam laceravit, imo ad impetum pestis aerie terrestris hominum rabies et longissimi belli furor accessit, tamque atrociter illis terris incubuit, ut dum male fida pace rebus redditia per ea loca ad regem missus iter agerem, cunta undique ferro atque igni eversa conspiciens, lacrimas non tenerem. Non enim sumus qui ut isti cetera omnia nostri amore orbis oderimus. Sed indubie ac fidenter affirmem hanc ipsam Italiam nunquam viris atque opibus et presertim maris imperio potentiores fuisse quam nostra fuit etate, nunquam si concordes animi utque olim bene validum caput esset, recipiendo orbis imperio nec ferendis infidelium tot mollibus atque indignis imperiis aptiorem. Non sequor animum calamumque, ne beatitudinem tuam hac in parte amplius fatigem, maxime cum de hoc ipso multa alibi questus sim; non ignarus tamen his obstarere Tarentum, Capuam, Ravennam aliasque magnas olim urbes, nunc non ita. Sed opponam illis omnibus vel hanc unam unde tibi hec scribo venetorum urbem

maximam, imo regnum ingens, cui magna olim regna subiecta sunt, urbem longe dissimilem ceteris utque ego dicere soleo orbem alterum; que tunc nichil aut minimum fuit, quamvis et veneti ducis et Venetie non urbis sed provincie nomen antiquissimum sit. Urbis enim nomen quod meminerim supra Vespasianum principem non legi; sed constat eam non multis ante hoc tempus seculis in hanc magnitudinem excreuisse. Sunt tamen et alie quas opponam: Ianua olim oppidum obscurum, civitas nunc preclara, patria quoque mea urbs quod verbum sonat florentissima, nondum tamen romana re. p. iam florente fundata. Quid Bononiam tuam loquar? quam supradicti principis etate felicissimam dictam invenio, quamque ego siqua in terris est felicitas vere felicissimam puer vidi, deinde, ut retrograde res mortalium sunt, lapsu temporis felicem, post et miseram, ad extremum per hos annos proximos miserrimam vidimus, nunc te auspice felicitati sue redditam videmus. Certe hec et alie in eodem tractu non antique admodum, bello punico secundo per Italiam tonante, a romanis condite sive insigniter aucte sunt ceperuntque esse quod non fuerant, nec multo post tempore quasi ad nichil redacte, sese maiores denuo surrexere. Quarum in epistola ad Faustum mesto stilo ac pio meminit pater Ambrosius nominatum, Bononiam ipsam, Mutinamque et Regium et Placentiam aliasque tunc semirutas urbes deflens, quibus hodie etsi non omnibus plena tranquillitas, decor tamen et sua manet integritas. Gaudendumque quod hac una in re viri sapientissimi atque sanctissimi fefellit augurium, quo illas in perpetuum prostratas dixit ac dirutas. Et ad summam tota hec Italie pars que candidas Alpes ac viridem Appenninum interiacet multo his temporibus est dicior frequentiorque quam antiquitus; partes alie humani morem status varietate testantur. Ceterum opinentur ut libet nichil est enim opinione liberius, ad multa alia vi coguntur multi, ad credendum nullus. Credant ergo, si videtur, Italiam nichil esse, quam totus sepe

orbis sensit esse aliquid. An non saltem illud intelligunt in hoc nichilo totam fere illam suam excellentiam esse inclusam? nec referre quam sit vilis arcula que plena thesauri sit ingentis. [7] His explosis, alme pater, ad te redeo. Ecce ergo, multa inter obstantia per procellas rerum varias atque adversos flatus, velo pietatis et rationis gubernaculo ac remis industrie bene usus, sanctam et venerabilem matrem ecclesiam sua in sede reposuisti. Difficile est autem quin pater familias peregre remeans, in domo diu deserta atque incustodita multa sit reperturus correctionis egentia. Hic incumbe, hic omnem sacri ingenii vim exerce, ut sparsa recolligas, lapsa erigas, deformata reformes, nutantia firmes, consumpta restaures. Eversam domum non destituit vir sapiens, sed attollit ac reficit. Quod si in singulis domibus verum est, cur non in omnibus et in tota urbe, si ita res tulerit, verum sit? Iure igitur, incensa olim, ut dicebam, urbe, tribunis plebis obluctantibus migrandumque censemibus, Marcus Furius Camillus ut restitueretur obtinuit. Extat oratio et civis et viri boni animo ac moribus digna. Quod si tunc accidit novitate illa urbis ac temporum ruditate, quid nunc censeas post tanta religionis rerumque celestium ac terrestrialium incrementa? Habes urbem conquassatam, fateor, sacram tamen et humano generi, sed precipue christicolis, venerandam, urbem divinarum et humanarum rerum omnium precellentem gloria, urbium parentem, orbis caput, arcem fidei, ubi te fideles ament, unde te metuant infideles; non ideo deserendam quod lacera et inculta est, sed eo attentius atque obnixius reparandam, quo maius hinc meritum reparanti est. Hanc siquidem Romulus fundasse, Brutus liberasse, Camillus instaurasse laudatur, ille cuius proxime mentionem feci, verum ea secularis imperii est laus. Spiritale autem imperium illic Petrus statuit, Silvester auxit, Gregorius exornavit: horum laudes omnium in te unum transferendi materiam tibi oblatam video. Non horum unius alteri, sed simul omnibus comparari ab incorrupta et memori

posteritate mereberis, utriusque enim imperii fundamenta et incrementa et ornamenta collapsa sunt, tuque omnium instaurator. Ex quo miror valde quorundam suspitiones hominum qui te tanta gloria tantisque meritis contemptis ac perditis abire velle aiunt vel ad ipsum illud ergastulum unde ecclesiam eruisti, vel nescio quo. Nullus est enim vel sanctitate vel gloria locus par, nullus ubi tantum valeas et Deo placere et hominibus prodesse, qui tui fines ultimi duo sunt, seu verius qui tuus in hac vita unicus finis est gemino sub mandato, quo pergunt, ubi sistunt, unde et pendent lex pariter ac prophete. Itaque nec fame contrarie, nec trepidis coniecturis confusisque rumoribus acquiesco. Nullo modo meum cadit in animum te sic cepisse ut sic desinas: satis enim fuerat non cepisse. Nil in rebus est deformius quam preclari principii fuscus finis, ut, quod ait Flaccus, «turpiter atrum / desinat in piscem mulier formosa superne». Quod si in pictura turpe est, in oratione turpius, in operatione turpissimum esse non ambigitur. Multi sunt et pene omnes qui preclarum nichil incipiunt nec infames sunt, quippe nec cogniti. At qui se glorioso principio notum fecit, si id sponte destituat, infamiam non evadet. Tu non solum cepisti sed magna ex parte peregisti. Vide ne tuis manibus tuum opus et tale opus evertas; id enim non modo quam non cepisse, sed quam ceptum omisisse multo fedius. Solet namque actibus mediis quidam torpor irrepere specie difficultatis obiecta. Profecto autem consummata bona atque ad exitum perducta rescindere invidia est. Cepto igitur nusquam calle deflexeris, nullus est rectior ad salutem, nusquam substiteris; tempus breve, longum iter, lenit laborem operis spes mercedis; nusquam denique in terga respexeris. Nosti enim quod «nemo mittens manum suam in aratum et aspiciens retro aptus est regno Dei». Nec ignoras ut vel apud scriptores gentium Orpheus retro versus eductam ab inferis suam perdit Euridicen, vel apud nostros Loth e Sodomis exeunti ut salvet animam suam neque post tergum respiciat imperatur; quod

vel oblita vel despiciens uxor eius respiciensque post se in statuam salis versa, exemplum atque utile condimentum posteris liquit, quo in similibus salliantur ne insipido rerum gustu ad ea que bene dimiserint animo aut oculis se convertant. Quibus ita se habentibus, fama et vulgus suo more veris falsa permisceant, meam michi nullus opinionem verbis eripiet. Si te abeuntem audiam, nisi videam non credam, et si videam vix credam. Sunt que vix oculis credantur. Magnam de te tuisque de rebus, magnam tua de sanctitate, de magnitudine animi, de constantia, de fide, de ingenio spem concepi. Credo ego te forsitan blanda egros animos spe solari et id agere ut inter honeste more tedium et dishonesti spem reditus elabantur dies, utque assolet tempore contractum et tempore desiderium evanescat.

[8] Perge, oro, beatissime, et ita fac, fac si potes, potes autem omnia supra hominem omnipotentis Domini vicarius, fac in titulis suis edificant, qui tam diu tamque avide in non suis edificarunt. Honesti lapides, honeste trabes, honesta calx fuerit, denique honestus labor, honesteque cure et honesti sumptus in propriis. Qui alienis in finibus quam honesti fuerint, quam decorum, quamque conveniens quod ruente Roma pulcerrima rerum, ut Virgiliius ait, qua nil maius sol vidit, ne sit irrita Horatii vatis oratio, parva et turpis Avinio super astra se tolleret et que vix competens cauda est fieret mundi caput, diffinire non est meum. Eorum conscientie relinquatur, qui prostrata metropoli urbium omnium que sub celo sunt, qui labentibus tectis apostolorum et suis imo sanctorum domibus, quarum edituos sunt professi, sparsis ac laceris, domos illic aureas erexerunt, inspectante universorum Domino ac iudice, nescio an etiam approbante. Fac incipient, pater providentissime, fac incipient tantum, voluptas una aliam trudit. Actum erit, mox domorum veterum ut ceperint oblivisci et lutum avinionicum non mirari. Longis erroribus infecti animi subito convalescere nequeunt, tempore lesi, ut dixi, tempore etiam curabuntur; sed non solo: tua mens, tua frons, tua vox et

indeficiens cura, tua illos vigilantia, tua virtus, tua franget autoritas. Interim dies ibunt, mentes verioribus sententiis, oculi melioribus spectaculis assuescent. Cum gustare ceperint quid est Roma, imo verius quid est fides, quid debitum, quid honestas, si quis homo vel casus eos cogeret unde tam tristes modo veniunt reverti, crederent vel ad mortem vel ad miserum exilium se compelli. [9] Adhuc tamen et tua sublimis sanctitas et mea fidelis humilitas, scio et sentio, contradictoribus patent. Sunt qui dicant, plane enim illos hinc audio, romanum aerem insalubrem esse. Quibus iam ex parte responsum est. Nulla enim non civitas tantum augustissima sed angusta domus tam salubris fuerit quam non suspectam faciant ruine, quamlibet purus aer si inclusus esse ceperit fit infamis. Hec romanam urbem eiusque temperiem atque aeris puritatem vel concutiunt vel accusant. Accedit et solitudo longior et menium squalor ac raritas incolarum. Que omnia quid aliud, queso, quam illa de qua supra questus sum romanorum pontificum ac principum invexit absentia? quidve aliud quam eorundem possit expurgare presentia? Vetus est proverbium cuius Aristotiles meminit: «nulla melius equum re quam domini sui oculo pinguescere». Urbem tuam a suis pastoribus derelictam providentie ac pietatis tue oculus impinguabit ac reficiet. Illam tu, quod a Christo Iesu poscitur, et labentem respicies et videndo corriges; nam corrigi quidem illa, ni deseritur, curarique potest. Non te ergo deterreat brevis labor quo eternum premium meriturus sis. Redde illi te, imo redditum conserva, redde illi, inquam, suum caput, statim et membra reddideris et vigorem, etsi non pristinum at magnum. Illum enim redintegrare non potest nisi is «qui facit mirabilia magna solus». Redde hominum frequentiam, quod stando moreque perpetue spem dando et contrarii metum omnem christianis pectoribus extirpando perficies. Ubi hoc feceris, mox et domos erexeris et aerem correxeris. Quem si infectum naturaliter quis astruat, obstat illa mirabilis civium multitudine de qua

epistola altera ad te scripsi et quam nullius scriptoris ingenium equare potest, illa vis animorum atque illud robur corporum, que nisi optimo in aere nec nasci potuerant nec servari; obstat auctorum omnium illustrium cohors, et minime romanorum ne affectus animi testium fidem levet. Nominatim eloquentie ille fons lacteus et historie princeps, apud quem ita scriptum est: «Non sine causa dii hominesque hunc urbi condende locum elegerunt: saluberrimos colles, flumen oportunum quo ex mediterraneis locis fruges devehantur, quo maritimi commeatus accipientur, mare vicinum ad commoditates nec expositum nimia propinquitate ad pericula classium externarum, regionum Italie medium; ad incrementum urbis natum unice locum, argumentum est ipsa magnitudo». Et post pauca: «Hic Capitolium est», inquit, «ubi quondam capite humano invento responsum est eo loco caput rerum summamque imperii fore». Que sequuntur sciens sileo. Illud nolim siluisse, non dico Virgilii apud quem inclita septicollis et felix prole virum imperium terris celo animos equat, sed Ieronimi, namque is familiarior tibi est, qui adversus Iovinianum scribens mentione huius de qua loquor urbis oblata: «Urbs», inquit, «potens, urbs orbis domina, urbs apostoli voce laudata». Et sequitur: «vocabulum Rome aut fortitudinis nomen est iuxta grecos, aut sublimitatis iuxta hebreos». Linquo alia. Non est igitur mirum quod gravissimus etiam hostis urbem regum, sive, ut alii tradunt, urbem templum sibi visam et senatum regum, hoc est ex regibus constantem, non erubuit confiteri. Sepe etenim vel invitos ad confessionem sui veritas cogit. Id non modo mirabile sed stupendum, quod hec ipsa urbs sic et amicis semper et hostibus venerata atque ante omnes alias in honore habita, solis filiis suis cardinalibus odio sit atque contemptui. Quos tu verus pater hortabere ut hos animos ponant, novos induant, sponsam tuam matrem suam diligent, illam sui presentia suisque opibus exornent, que et opibus illos ornat et gloria, neque tali matre nuda ac famelica

externas vestiant ac pascant, neque sua indiga et mendica in alienas effundant quod in propriam refundendum erat. Id enim fedum sibi, odiosum Christo neverint, qui suo sanguine ditavit ecclesiam non solum celestibus et eternis divitiis sed temporalibus etiam ac terrenis, quas in aliud quam ipsius in laudem atque obsequium spargi nefas sacrilegiumque est. Proinde tu vigila, domini est enim vigilare, servorum stertere. [Homerus ait: «Non oportet noctu quiescere consultorem virum cui populi sunt in cura».] «Surgere oportet prius dominos servis», inquit Aristotiles, «et dormire posterius et quecunque decet facere neque nocte neque die omittere. De nocte enim surgere», ut idem ait, «ad sanitatem et yconomiam et philosophiam utile». Tua sanitas non tibi tantum utilis sed necessaria est mundo, tu non solius yconomie sed totius rei. p. curam geris, multo maioribus vigiliis indigentis, tu non false et inanis sed vere ac solide philosophie vereque sapientie Dei Patris studio vacas. Omnes in te unum cause coeunt, ut de nocte surgas ac vigiles. Vigila, inquam, speculare, superintende, quod est proprium episcopi atque universa circumspice, versatili atque acri et vigili ingenio opus est, magne cuiusque rei executio noctes insomnes intentumque animum exigit. De tua quidem optima ac stabili voluntate certissimus, alienae duros obices voluntatis metuo, quos tuum est vel mollire vel frangere, ne hic pudor atque hec macula frontem premat ecclesie, ne ve hec fabula sit presentis et sequentium seculorum, ut te vivo saltem tam preclari duce operis, sanctissima Petri sedes iterum deseratur, tam presertim vili causa, vini scilicet, quod ab homine sobrio facile sperni potest, vel si nequeat, et transfertur agiliter et transferendo fit melius. Neque vero ubi erant, quo reverti ardent, vinum illud nascebatur, quamvis esset aliquanto propinquius; neque maiuscum hoc iter est aliud quam nautarum labor exiguus, quibus nullus satis est magnus labor, ad hoc unum natis. Neque Hercle tam ebriosus unquam fuit aliquis ut vini amore in vineis habitaret. Colitur vinea,

non incolitur; et in vinea quidem vinum nascitur legiturque, in torculari premitur, in penu conditur, in aula bibitur et prima illa sunt villici, ultimum hoc domini. Vinea tua et illorum est quaquaversum religio vera protenditur, non tam vino quam rubenti martirum sanguine fertilis, cuius vindemia ipsa est salus fidelium animarum. Sed quecumque sit vinea, quisquis ager ecclesie, certe aula regia atque arx superior Roma est. Quod etsi quidam dissimulent, nemo est qui nesciat, ne apud Indos quidem, puto, nemo etiam sit qui neget. Redeant ad cor, nec iam amplius contra stimulum Christi calcitrent, durus est enim neque iugum eius exutiant, nam suave est et omni lenius libertate. Humani animi vitium est error, obstinatio demonum est propria. Satis superque satis erratum est, sit iam modus erroribus. Satis est perdit temporis, extrema ne pereant enitendum est. Avertant aures animarum ab impiorum suggestibus angelorum; periculosissimi enim sunt, invisibilibus flammis ac iaculis seviunt; quos, ut ait Augustinus, «in ipsis mentibus formidamus». Adhibeantque illas Domini preceptis aperiantque oculos et videbunt Christum rectum illis ad se iter designantem. Illum audiant, illum aspiciant ac sequantur. Cesset pertinacia ac funesta durities. Non pudeat vinci, neque enim ab alio vincuntur et se vincere victoria summa est. Cunta autem rite facturos spero, si et tibi credere incipient et novissima sua que iam vicina sunt cogitent. [10] Hec tam multa, pater, ut Ciceronis verbo utar, sanctissime atque optime, et dixi olim et nunc addidi non quia tibi recesseret hec audire, sed quia michi prope necessarium non tacere. Scio enim illos multa quotidie contra hec loqui, quibus obstarere non superbum modo sed insanum putent. Magni quidem viri sunt, sed maior est veritas, et collocutorem modicum, non dubito, atque humilem reprehensorem suo quasi quodam iure fastidiunt. Sed si se homines meminerint, non fastidient rationem, cui si se subciant nec autoritate nuda niti velint, quid his forte respondeant non habebunt. Illud nec relatu

dignum, quamvis id multi pre dicent, esse ibi qui cupiant sinistrum aliquid, quod Christus cuius res agitur avertat, tibi vel ecclesie provenire, quo sis pronior ad discessum; atque hanc ob causam placuisse illis motiunculam que ad Viterbium fuit, atque inde spem nefariam concepisse. Ego autem non dicam excellentissimis dominis sed ne servis quidem nisi vilissimis hunc fuisse degenerem imo immanem atque impium appetitum suspicari audeo, qui extremi forsitan furciferi cuiuspiam ferum pectus invaserit. Illi equidem quisquis sit, si tam malus quisquam esse potest, resipiscentiam ac veniam, si has nolit, sibi eternum de aliena felicitate supplicium, perpetuitatem vero rebus prosperis, ecclesie pacem, tibi constantiam ac salutem opto. Precatorque licet indignus in se tamen dignis precibus illum oro qui tibi tanti principii mentem dedit, ut votivum finem et bonorum operum consummatricem optimam perseverantiam largiatur.

# Liber 10

2

## Ad Guidonem Septem

*Ad Guidonem Septem archiepiscopum Ianuensem, de mutatione temporum.*

[l] Scio iam hinc michi obstare illam Flacci sententiam ubi, de moribus senis agens, difficilem illum dixit et querulum, seque puero acti temporis laudatorem. Non nego id quidem ita esse; sed licet id michi sepe alibi fortassis, huic nunc tamen epystole non adversum dico; quamvis enim ego querulus et laudator veterum, hec tamen seu veterum laus seu querela presentium vera erit. Sepe per os mentiri solitum veritas sonat, cui etsi auctor fidem deroget, ipsa sibi fidem facit. Dico ego, teque fassurum spero, dico et queror et, si virum decet, lugeo: quid ita peioribus annis senectutem agimus, quam pueritia acta est? Nisi quod auguror ut arboris sic hominis etatem esse, ut, sicut illa celi minas atque aerias tempestates, ita hec mundi difficultates et procellas rerum durior ferat, quas tenerior non tulisset. Sed hec consolatio nobis accommoda est, aliis non ita. Nam innumerabiles nobis et senescentibus pubescunt et pubescentibus senescebant, fierique potest ut et hos tranquilla maneat senectus et illis pueritia inquieta transiverit. Quamobrem, omissis aliis, ad rem nostram venio. Profecto enim ut vivendo ad malorum tolerantiam duriores simus, ad multa fragiliores facti sumus et, quod nemo neget, indignantiores ad omnia. Nichil est enim indignantius senectute: motus hec animi etsi placare norit ac tegere, sentit tamen sic ut etas nulla profundius, fessa iam et vite confecta fastidiis. Hec sententia mea est, quam non audiendo nec legendo sed experiendo didici quamque an tu probes nescio. Certe quod de etatis mutatione in

peius ac ruina dicere institui, approbare ipsa te sole clarior veritas coget.

[2] Nec iniucundum, puto, nec inutile fuerit aliquantulum nunc etiam preteriti temporis meminisse: quam longissime igitur potes, retro mecum verte oculos. Et primam quidem illam vite partem tu domi tue, ego in exilio meo egi; neque vero magna hinc elicias argumenta, ubi tam exiguum lumen sit rationis animique. In ipso sane infantie pueritieque confinio forte in Galliam Transalpinam, eam scilicet que provincia Provincie nunc dicitur, olim Arelatensis provincia dicebatur, uno prope tempore transvecti ambo, confestimque, qualem etas illa patitur, amicitia iuncti usque ad exitum duratura, unum vite iter arripuimus. Atque hic ego tuam Ianuam sileo, unde tunc nobis transitus fuit; cuius tu ortus in finibus, nunc pontificatus in vertice constitutus, nosti omnia; et ego quidem de his latius duci urbis illius et consilio scripsi olim epystolamque illam tibi cognitam et probatam scio. Meta puerilis nostre peregrinationis illa fuit que ab antiquis Avenio, a modernis Avinio dicta est. Inde, quoniam romano Pontifici et Ecclesie secum ibi tunc noviter peregrinanti, neque in suam sedem usque post annum sexagesimum reversure, locus angustus erat, domorum ea tempestate inops incolarumque colluvie exundans, consilium nostrorum senum fuit ut mulieres cum pueris ad locum proximum se transferrent. In qua transmigratione et nos duo, iam pueri necdum puberes, cum reliquis simul sed ad aliud, hoc est ad scolas gramatice, missi fuimus. Carpenteras loco nomen, urbs parva quidem sed provincie parve caput. Tenes ne memoria tempus illud quadriennii? Quanta ibi iucunditas, quanta securitas, que domi quies, que ve in publico libertas, que per agros otia, quod ve silentium! Tu credo idem sentias; certe ego adhuc illi tempori, imo vero omnium temporum Auctori gratiam habeo, qui id michi spatium tam tranquillum dedit, ut absque ullo rerum turbine pro ingenii

inbecillitate doctrine puerilis tenerum lac haurirem, quo ad cibi solidioris alimentum convalescerem. Sed mutati sumus, dicat aliquis; hinc est ut mutata simul nobis omnia videantur; sic oculo sic palato alia quidem sano, egro alia eadem res videtur. Mutatos fateor: quis enim, non dicam carneus sed ferreus aut saxeus, tanto non mutetur in tempore? Enee atque marmoree evo cadunt statue; urbes manu aggeste et que iuga montium premunt arces; quodque est durius, solide ipsis ex montibus rupes ruunt: quid facturum rear hominem, mortale animal fragilibus membris et cute tenui compactum? Sed ad mutatio tanta est ut manente anima iudicium aut sensus abstulerit? Satis extimo, si nobis, quales hodie sumus, que tunc fuit etas illa redeat, non omnino talem visum iri qualis eo tempore visa est; ne nichil penitus annis actum dicam, alia certe videbitur; nunquid tamen non longe melior multoque tranquillior quam que nunc agitur? An quia fortassis minutissimum illud opus Myrmecidis quadrigae, quam tegebat, ut perhibent, alis musca, rotarum radios non discernunt oculi, seu Callicratis non dinumerant fornicarum pedes partesque alias humani aciem obtuitus tenuitate frustrantes; neque *Yliadem* illam, quam subtiliter adeo fuisse descriptam ut tota unius testa nucis includeretur ait Cicero, clare expediteque perlegunt; idcirco sic caligant ut urbes vicosque urbium, cives, mores, habitus, domos, templa non videant? Sic mens hebet ut mutata et deformata omnia non agnoscat? An non sepe postea civitatulam illam revidimus, a seipsa usqueadeo diversam, ut alienati magis animi videri possit tantam tamque enormem mutationem rerum omnium non videre? Non multis annis ex quo inde discessimus, totius, quod ante non fuerat, Provincie litigiorum sedes, dicam rectius domus demonum facta est. Cessit otium, cessit gaudium, cessitque tranquillitas: cuncta illico iudiciariis tumultibus atque clamoribus plena erant. Quid nobis obicitur mutatio, qui, translati alio et locis mutatis et accedente evo, mutari utique

poteramus et hauddubie mutabamur? Ipsi iam cives vix suam patriam agnoscebant, quod crebra notorum lamentatione didicimus. Sed hec mutatio pro iustitia fuit — dixerit quispiam — que raro sine clamoribus exerceri potest. Ego autem de mutatione ipsa, non de causa dispuo. Nunquid vero illud etiam iusticie fuit, quod post annos ea ipsa urbs et circumfusa regio que securissima et apostolice, cui subest, sedis reverentia pene armis exempta et inaccessibilis videbatur Marti, predonum exercitu non vexata tantum sed vastata atque ad extrema miseriarum redacta est? Hec nobis pueris siquis illic unquam eventura vaticinaretur, nonne invitus pariter atque insanus haberetur vates? Sed teneo ordinem. Et quanquam de maioribus possem, ut memoria tamen tua nostre astipuletur assertioni, de his que simul ambo vidimus cupidius tecum loquor.

[3] Inde igitur simul quoque (nam quid divisim magna etatis parte gessimus?) vicina iam pubertate, ad Montem Pessulanum, florentissimum tunc oppidum, iurisque ad studium delati, aliud ibi quadriennium exegimus, cuius tunc potestas penes Maioris Balearice regem erat, exiguum preter loci angulum Francorum regi subditum qui, ut semper prepotentium importuna vicinia est, brevi totius oppidi dominium ad se traxit. Quenam vero tunc ibi quoque tranquillitas, que pax, que divitie mercatorum, que scolarium turba, que copia magistrorum! Quanta ibi nunc horum omnium penuria publicarumque et privatarum rerum quanta mutatio et nos scimus et cives, qui utrunque viderunt tempus, sentiunt. Inde Bononiam perreximus, qua nil puto iucundius nilque liberius toto esset orbe terrarum. Meministi plane qui studiosorum conventus, quis ordo, que vigilantia, que maiestas preceptorum: iurisconsultos veteres redivivos crederes! Quorum hodie prope nullus est ibi, sed pro tam multis et tam magnis ingeniis una urbem illam invasit ignorantia; hostis utinam et non hospes, vel si hospes at non civis seu, quod multum vereor, regina: sic michi omnes videntur abiectis armis

manum tollere. Quenam ibi preterea tunc ubertas rerum omnium, que ve fertilitas, ut iam prescripto cognomine per omnes terras «pinguis Bononia» diceretur. Incipit illa, fateor quidem huius Pontificis Maximi, qui nunc rebus presidet, consilio ac pietate reviviscere atque pinguescere; verum hactenus, ut illius urbis non modo precordia sed medullas rimareris, nichil macrius, nichil aridius invenisses. Facete, ut in malis iocari solitus erat, ille vir optimus, ad illius regimen legatus de latere (ut ipsi vocant) missus novissime; ad quem visendum anno retro tertio cum venissem, post parvi hospitis letos et nimis honorificos amplexus, sermonem varium exorsi sumus; querentique michi publico de statu: «Hec» inquit «amice, Bononia olim fuit; nunc autem Macerata est»: Piceni nomen oppidi traxit in iocum. Sentis, puto, ut dulci quadam cum amaritudine inter hec mala et bonarum memoriam rerum vesor; heret memorie mee, credo et tue, indelebile fixumque vestigium illius temporis, quo studiosorum unus ibi agebam. Venerat iam etas ardentior, iam adolescentiam ingressus et debito et solito plus audebam. Ibam cum equevis meis; dies festos vagabamur longius, sic ut sepe nos in campis lux desereret, et profunda nocte revertebamur, et patentes erant porte; siquo casu clause essent nullus erat urbi murus; vallum fragile iam disiectum senio urbem cingebat intrepidam. Nam quid muro seu quid vallo tanta opus erat in pace? Sic pro uno multi erant aditus, quisque commodiorem sibi carpebat ingressum: nil difficile, nil suspectum erat. Ut muro, ut turribus, ut propugnaculis, ut armatis custodibus, ut nocturnis excubiis opus esset, interne primum venena tyrannidis, post externorum fecere hostium insidie atque insultus. Quid notissima ruminans circa Bononiam demorari stilum cogo, nisi quia tam recens illius michi veteris Bononie memoria est, ut quotiens hanc videre contingit somniare crediderim neque oculis ipse meis fiderem? Sic multos iam per annos paci bellum, libertati servitus, copie inopia, ludis meror,

cantibus querele, coreis virginum predonum cunei successere, ut, preter turres atque ecclesias adhuc stantes miseramque urbem altis verticibus despectantes, hec, que Bononia dicebatur, diu quidvis potius quam Bononia videretur.

[4] Sed, ut Bononia discedamus, acto ibi triennio domum redii: illam dico, quam pro Arni domo perdita mea michi sors, bona utinam, reddiderat, Rodani turbidam ad ripam: qui locus, a principio in finem etsi uno semper tenore iudicii — non tam propter se quam propter concursantes et coactas ibi concretasque totius orbis sordes ac nequitias — multis atque ante alios michi pessimus omnium visus fuit, tanto tamen se se peior factus est, ut (quod nemo, nisi prorsus impudenti mendacio, negare audeat), sibi ipse collatus, fuisse olim optimus videri possit. Nam, ne singulis immorer, quanquam nulla ibi unquam fides, nulla caritas, et, quod de Hanibale dicitur, «nichil veri, nichil sancti, nullus Dei metus, nullum iusiurandum, nulla religio», ubi non quidem propter se, sed propter presidentis electionem, summa vere religionis arx esse debuerat; erant ibi tamen, quantum oculis apparebat, multa securitas ac libertas; que ita funditus periere, ut cum ceteris et publicanorum inaudito ibi hactenus et ignoto deprimatur iugo, et metu gravi hostium sine fine circumsonantium necesse fuerit novis urbem menibus circumplecti et, ubi noctibus totis aperta omnia fuerant, luce media portarum aditum armis obstruere. Nequi id valuit quin, male tuta ferro ac menibus, redimenda auro et precibus salus esset. Idque ego Dei nutu gestum seu permissum reor, ut vel sic vicarius suus quique illi assident neglecte diu nimis sponse in memoriam ad desiderium traherentur; quod, sive hac causa sive insita virtute, iam in Pontifice factum vides; reliquos duriores aut Deus molliat aut mors, quod cepisse iam visa est. Ceterum mala hec, si capiti acciderunt, patientius ferant membra; nec miretur quisquam si, quos a limine proprio presens romanus Pontifex ipse non arcuit, eiusdem absentis reverentia non

coercet; nequa enim vetus mali consuetudo recens bonum interpellet, vellicansque nondum stabiles animos redeundi forte ingerat appetitum, plagam illam latrociniis maxime nunc infestam scimus.

[5] Unum hic, antequam longius eam, quod me premit dicam, nitarque hodie, quod verum nolim, tecum loquendo iuvenescere. Nosti ut in illo surgentis vite flore, cuius ante memini, quem gramaticorum in stramine velut in delitiis egimus, cum semel parens meus patruusque simul tuus, qui ea ferme tunc etate erant qua nunc sumus, ad Carpenteracensem quam modo dicebam civitatulam de more venissent, patrum ipsum quasi advenam voluntas cepit, ex vicinitate credo et novitate rei orta, preclarissimum illum fontem Sorgie videndi; qui per se olim notus (si parva de re gloriari cum amico, idest secum, licet) meo longo postmodum incolatu meisque carminibus aliquanto notior factus est. Re audita, puerilis et nos cupiditas excivit ut duceremur, et quoniam non sat tuto committi equis videbamur, singuli nobis famuli dati sunt qui equos ipsos nosque, ut fit, a tergo complexi regerent. Atque ita matre omnium illa optima quas quidem viderim, que carne mea, amore autem communis michi tecum fuit, vix tandem exorata sed multa pavente ac monente, profecti sumus cum illo viro, cuius vel sola recordatio leta est, cuiusque tu nomen et cognomen retines, doctrine autem et fame plurimum addidisti. Cum ad fontem ventum esset (recolo enim non aliter quam si hodie fuisse), insueta tactus specie locorum pueriles inter illos cogitatus meos dixi ut potui: «En nature mee locus aptissimus, quemque, si dabitur aliquando, magnis urbibus prelaturus sim!». Hec tunc ego mecum tacitus, que mox postea, ut virilem etatem attigi, quantum non otio meo mundus invidit, late claris inditiis nota feci: multos illic enim annos, sed avocantibus me sepe negotiis rerumque difficultatibus interruptos, egi, tanta tamen in requie tantaque dulcedine ut, ex quo quid vita hominum esset

agnovi, illud ferme solum tempus vita michi fuerit, reliquum omne supplicium. Ita tunc indivisibiles animis, distracti studiis eramus: tu litigium et rostra, ego otium sectabar et nemora; tu calle politico divitias honestas quesivisti, que me, mirum dictu, solitarium contemptorem, profugum in medias silvas, usque ad invidiam insecute sunt. Quid vero tibi nunc ego illud agreste silentium, illud nitidissimi amnis assiduum murmur, illum boum sonoris in vallibus mugitum, illos volucrum in ramis non diurnos modo concentus sed nocturnos explicem? Scis omnia, etsi me hac in parte non penitus sequi ausus, quotiens tamen urbanis tumultibus te furari posses — quod perrarum erat — cupide illuc, ut e procellis in portum fugere solitus. Quotiens autem reris me nox atra solum procul in campis invenerit; quotiens per estatem media nocte surrexerim et nocturnis Christo laudibus persolutis, unus ego, ne somno pressos famulos inquietarem, nunc in agros presertim sublustri luna, nunc in montes exierim? Quotiens hora illa, nullo comite, non sine voluptate horrida, in immane illud fontis specus intraverim, quo vel comitatum luce ingredi horror est! Unde autem erat tanta fidutia si queritur, nempe umbras larvasque non metuo, lupus nunquam in ea valle visus erat, hominum pavor nullus: bubulci in pratis, piscatores in fluvio pervigiles, illi quidem canebant, hi silebant, utrique certatim me colebant, seque ad omnimodum obsequium horis omnibus offerebant, quippe cum suum locique dominum scirent non amicum michi tantum esse sed fratrem optimum, sed parentem; sic ubique benivoli, hostes nusquam. Itaque cunta deliberans sic michi, te favente atque idem sentiente, persuaseram, si totus orbis bello quateretur, illum immobilem ac pacificum locum fore: quod ut crederem, et romane respectus ecclesie, de quo dixi, et multo maxime vicinitas faciebat; super omnia autem paupertas, securissima rerum et contemptrix avaritie atque armorum. Quid deinde? Mirari posses, ni rem nosses. Adhuc me ibi agente, lupi advene usque in

oppiduli domos chatervatim ruere ceperant, et facta gregum cede, attonitos trepidosque ipsos loci incolas habere, nec damnum modo sed augurium esse et luporum, credo, qui venturi erant, presagium armatorum. Siquidem, non multo postquam inde discesseram, parva quedam fedaque et infamis manus furum, sed ignavie accolarum fidens, omnibus circum pererratis ac direptis, ad extremum prorsus (ut sacri fures essent ac de furto suo Laverne, furum dee, rite sacrificarent) ipso Dominico Natali die incautum rus aggressi, ablatis que auferri poterant, relique flammis exusserunt; inque illud hospitiolum, ex quo Cresi regiam spernebam, ignis immissus est. Testudo vetus incendio restitit: properabant enim fures impii! Libellos aliquot, quos illinc abiens dimiseram, villici mei filius, iam id ante presagiens futurum, in arce contulerat, quam predones inexpugnabilem ut est rati, sed ut erat indefensam ac vacuam ignorantes, abiere. Sic diris e faucibus preter spem servati libri, providente Deo ne tam turpes ad manus preda tam nobilis perveniret. I nunc, et illus Clause Vallis opacis in receptaculis spem habeto! Nil clausum, nilque altum, fuscum nichil est furibus atque predonibus: omnia penetrant, omnia provident ac rimantur. Nullus tam munitus tamque excelsus est locus, in quem non scandat armata cupiditas et soluta legum vinclis avaritia. Sed ita me Deus amet ut, presentem loci statum cogitans memorque preteriti, vix opinari possum esse illum, ubi in montibus noctu solus ac securus erraverim! Verum ego, non ruris illius ignobilitate sed solitudinis mee suavitate pensata, plura forsitan quam pro re dixerim; ut antiqua equidem novis ingererem ex quibus rerum mutatio nota esset, ordinem deserui: sed revertor.

[6] Quarto igitur postquam Bononia redieram anno, cum illo viro, sepe michi et multum — nunquam vero quantum meruit — laudato, Tholosam Garumneque alveum et Pireneos colles adii, celo sepe turbido sed serenissimo comitatu. Et quid de his dicam, nisi quod de

aliis? Eadem Tholosa, eademque Vasconia, Aquitania eadem nomine: re omnes prorsus alie, sibique ipsis, preter unam soli superficiem, omni ex parte dissimiles. Inde autem reversus, quarto item anno, iuvenili ardore videndique cupidine, Pariseorum urbem peti; in quo quidem itinere ac reditu (sic iuvente calcar urgebat) extremos regni angulos, Flandriamque et Brabantiam atque Hanoniam et inferiorem Germaniam circumivi; quo cum nuper ex negotio rediisse, vix aliquid omnium recognovi, opulentissimum in cineres versum regnum videns, et nullam pene domum stantem, nisi urbium aut arcium menibus cincta esset; de quo tunc ad venerabilem senem Petrum Pictavensem scripsi latius ac dixi, qui post obiit, ante non multum tempus felicius obiturus. Ubi est enim illa Parisius, que, licet semper fama inferior et multa suorum mendaciis debens, magna tamen haud dubie res fuit; ubi scolasticorum agmina, ubi Studii fervor, ubi civium divitie, ubi cunctorum gaudia? Non disputantium ibi nunc auditur sed bellantium fragor; non librorum sed armorum cumuli cernuntur; non sillogismi, non sermones, sed excubie atque arietes muris impacti resonant; cessat clamor ac sedulitas venatorum: strepunt menia, silent silve, vixque ipsis in urbibus tuti sunt: cessit enim penitusque abiit que illic templum nacta tranquillitas videbatur; nusquam tam nulla securitas, nusquam tam multa pericula. Quis hoc unquam, queso, divinasset: quod Francorum rex, quamvis quod ad se unum attinet invictissimus hominum, vinceretur et in carcerem duceretur et ingenti precio redimeretur? Tolerabilius tamen hoc efficit auctor mali; rex a rege, licet impari, victus est. Illud prorsus miserum pudendumque, reditu in patriam prohibitos et regem ipsum et filium eius qui nunc regnat, coactusque cum predonibus pacisci ut tutum per suas terras iter agerent. Quis hoc, inquam, illo in regno felicissimo non dicam cogitasset sed, autumo, etiam somniasset? Quando vero credent hoc posteri, si (ut sunt

volubiles res humane) regnum ipsum quandocunque suo statui restitutum fuerit? Nos enim non credimus, sed videmus.

[7] Inde autem, hoc est a prima gallicana peregrinatione reversus, quarto itidem post anno, primum Romam adii; que, etsi iam tunc multoque prius nichil aliud quasi quam illius Rome veteris argumentum aut imago quedam esset, ruinisque presentibus preteritam magnitudinem testaretur, erant tamen adhuc cinere in illo generose aliisque faville: nunc extinctus et iam gelidus cinis est. Erat, ex cineribus veterum renatus phenix unicus, senex ille gloriosissimus Stephanus Columnensis, eius, quem supra memoravi, mei ducis magneque et illustris sed caduce nimium genitor familie; vir cum suis sepe michi dictus dicendusque; erant alii, quibus ruine ille saltem patrie care essent; quorum nullus aut ibi nunc aut humanis in rebus iam superstes est.

[8] Quarto rursus anno Neapolim perrexi; et licet sepe post id tempus Romam Neapolimque redierim, prime tamen impressiones herent animo. Erat ibi tunc Robertus Sicilie, imo Italie, imo regum rex; cuius vita felicitas, mors exitium regni fuit. Ipse quidem me digresso non diutius supervixit; et plane si, celo obstante, vetabatur ingruentibus malis occurrere ut solebat, vix cuiquam tempestivius mori contigit; ut michi plane ad eximiam vite felicitatem talis mors accessisse videatur. Ego autem anno demum quarto (sic tunc vitam quaternario partiebar) illuc rediens — nunquam redditurus, nisi me Clementis tunc romani pontificis iussus urgeret — muros quidem et plateas, et mare, et portum, et circumfusos colles, vitiferosque eminus hinc Phalernum, hinc Vesevum vidi: Capreas quoque et Inarimen et Prochitam, ictas fluctibus insulas, et fumantes hibernis mensibus Baias; notam michi Neapolim non inveni. Semina vero cladium multarum, atque impendentis signa miserie clara perspexi, cuius me tam certum fuisse vatem doleo. At quid inde sentirem, non verbo solum sed et literis, tonante iam fortuna nondum tamen

fulminante, testatus sum; que ita post illicet impleta sunt omnia, et multa insuper addita, ut vaticinium ipsum meum, quamvis horribile, infinita malorum serie vinceretur; que deflere quam enumerare facilius multo sit.

[9] Non multo ante id tempus in has terras, in quibus adolescens studiosus fueram, otiosus et iam vir reversus, amicitia trahente illius cuius adhuc memorie multum debo, Cisalpinam hanc Galliam, quam tantummodo pius attigeram, totam vidi non ut advena, sed ut accolae urbium multarum: Verone in primis et mox Parme ac Ferarie; demum Patavi, quo me illa, quam discutere nescio, cathena eadem traxit amicitie sed alterius viri optimi, cuius casum nunquam sine dolore meminero. Qui, cum undique maximus clarissimusque vir esset, peregrini parvique hominis et solo nomine cogniti nec unquam, ut ipse aiebat, nisi semel visi idque in transitu, familiaritatem diu sic ambivit, quasi per hoc magnum aliquid sibi sueque reipublice quesitus; et eius quidem urbis incolatus, illo superstite continuus michi, sicut auguror, futurus, eodem rebus exempto, perpetuus tamen fuit licet interruptus ex causis. Proinde urbs hec, quo primum tempore ad eam veni, sic recenti peste illa terribili attrita erat, ut dehinc, primogeniti illius providentia ac studio et usque ad hoc tempus inconcussa pace, fateri oporteat unam hanc ex omnibus erectam potius quam deiectam; ad id vero, quod anno antequam illuc venirem (hoc est ante pestis initium) fuerat, imparem sibi ac dissimilem prorsus ut reliquas.

[10] Mediolanum serius ac Ticinum novi; et quid vis dicam? Nulla omnium est que fuit, non dico ante multa secula, sed nuper nostra memoria: visa enim, non lecta loquor vel audita. Ipsa urbs Mediolanum, quam ante mille quingentos annos florentissimam lego, et que, ut puto, nunquam magis quam nostra floruit etate, nunc non floret ut solita est, quamvis adhuc magnitudine et potentia atque, ut dicitur, pondere suo stet. Cives suos interroga; fatebuntur

hec ita esse, tristiusque aliquid de suo addent. Quid nunc Pisas, ubi vite septimum annum egi; seu quid Senas loquar; quid dilectum michi primi exilii atque originis mee locum Arretium, vicinumque illi Perusium, quid ve alias dicam? Una omnium conditio est: non sunt hodie quod heri, ut, cum sit mira varietas rerum, tamen incredibilis ac stupenda celeritas.

[11] Possem te modo per Italiam totam, imo et per omnem Europam passim circumducere, nova ubilibet ad inceptum argumenta reperturus; sed vereor memetipsum teque et alios (siqui hoc nostrum collo quium audituri lecturique sunt) fatigem, si te per omnes terras stilo ducam, quarum recens simul et miseria et aperta mutatio est. Delectatus tamen sum; nescio an sat proprie hoc dixerim, nisi sit quedam in merore delectatio, sed profecto libuit michi tecum hactenus fando peregrinari per transactos annos ac loca distantia, eaque maxime in quibus aliquando tecum fui, et quod iter pedibus aut navibus mensi sumus calamo remetiri. Nullo autem pacto harum rerum per memoriam indicta patria transire possum. Illa vero quid est aliud quam varietatis infauste argumentum evidens? que nudius tertius, convenientissimum nacta vocabulum, inter alias non italicas modo sed cristianas urbes rebus omnibus usque ad invidiam florebat; mox deinde crebris malis, extra incendiis ac bellis intersectis ac pestibus, usque ad misericordiam deformata, omnes certe mortales ante alios quidem suos cives admonet, quanta sit in rebus pereuntibus spes habenda.

[12] Hic michi contentiosus forte aliquis obviet. Est enim genus hominum quibus quoniam virium nichil est ad veritatem defendendam et quiescere nesciunt, fallaciis hanc oppugnant: idque sibi artificium facere. Quod negari igitur nequit, in his quas dixi urbibus verum hoc esse fatebitur; in aliis forsitan non ita; atque hoc respectu mutationem universi nullam esse, quod quantum uni decreverit accrescit alter. Cui ego respondeo: ostendat michi in

occidente aut in artho vel in una urbe contrarium, et vicerit. Certe enim hec ipsa, unde tibi nunc scribo et cuius ad ultimum incola factus sum, non tam oblectationem quam securitatem et quietem querens, Venetorum urbs, quamvis et consilio civium et locorum situ inter omnes alias nostri orbis prospero ac tranquillo sit in statu, fuit tamen aliquando prosperiore: tunc scilicet cum visendi gratia cum preceptore meo huc primum e Bononia adolescens veni. Et hoc quoque sic esse non negantes cives audias, etsi, quod nec ipse negaverim, aliquid, imo quam plurimum, edificiis accesserit. Sin me longius cavillator traxerit, fatebor me quid apud Seres Indosque agitur nescire, sed Egiptum Syriamque et Armeniam totamque Asiam Minorem non alio rerum incremento nec meliori uti sorte quam nos. Nam Grecie calamitas vetus est, sed Scitharum recens. Ut, unde nuper ingens annua vis frumenti navibus in hanc urbem invehi solebat, inde nunc servis honuste naves veniant, quos urgente fame miseri venditant parentes. Iamque insolita et inextimabilis turba servorum utriusque sexus hanc pulcerrimam urbem scithicis vultibus et informi colluvie, velut amnem nitidissimum torrens turbidus inficit; que, si suis emporibus non esset acceptior quam michi et non amplius eorum oculos delectaret quam delectat meos, neque feda hec pubes hos angustos coartaret vicos, neque melioribus assuetos formis inameno advenas contristaret occursu; sed intra suam Scithiam cum fame arida ac pallenti lapidoso in agro, ubi Naso illam statuit, raras herbas dentibus velleret atque unguibus. Et hec quidem hactenus.

[13] Sed instabitur, et varietatem queri dicar immerito, quasi huius tantummodo sit etatis, cum sit omnium. Ego autem nichil queror, sciens ab initio rerum volvi omnia, nichil stare. Nec dico: a Quid, putas, cause est quod priora tempora meliora fuere, quam nunc sunt? stulta est enim» ut ait Salomon «huiuscemodi interrogatio»; multe quidem possunt esse cause Deo note, et quedam fortassis hominibus.

Non queror ergo mutata tempora, nec causas quero, sed mutationem astruo contra opinionem nostrorum qui, hec inter mala geniti, quia aliud nil viderunt, nil aliud fuisse contendunt, inscii atque increduli; et mutationem temporum manifestam prorsus ac flebilem mutatis studiis nostris atque animis imputant. Quos mutatos fateor et gaudeo; sed mutatio hec nichil ad alteram: neque enim minus rapido acta impetu rota ingens volvitur, quod formica interim per illam segnis incedit. Illud denique in litem veniet, mutationem hanc non rerum esse nec temporum ac nec mundi quidem, sed solorum hominum; quod ipse etiam in parte non negem, sciens mundi appellatione sepe homines accipi, quibus hauddubie factus est et quorum usui mundus obsequitur; et sane mutationum huiuscemodi multe ipsis in hominibus cause sunt; et si quis altius fodiat, fortasse omnes, sed alie apparent, latent alie. Certe quod pietas, quod veritas, quod fides, quod pax exulet; quod impietas, quod mendacium, quod perfidia, quod discordia et bellum regnet et toto seviat orbe terrarum; quod predonum manus impie, quasi iuste acies, pro libito vagentur et vastent ac diripient quicquid est obvium, neque his urbes obstare valeant neque reges; quod infecti mores, depravata studia, deformati habitus, palam est nonnisi in hominibus radicem mali totam esse; quamvis ego, ut iam dixi, non de causis nunc sed de rebus tantum disputem, que profecto nobis pueris adolescentibusque non erant. Rara bella inter regna vel populos de finibus aut de iniuriis gerebantur; societas contra omne genus humanum nulla usquam nostro evo fuerat. Erant societates mercatorum, quas ipsi vidimus, quibus ante omnes patria diu floruit mea, per quas quante commoditates afferuntur hominibus difficile est dictu, difficilius creditu; per has enim totus fere noster orbis regebatur, reges ac principes universi harum ope et consilio fulti erant. Alterius generis societates peregrinorum magne, agmine devota loca Ierosolimam Romamque petentium, cernebantur. Fures ibant singulatim, noctu,

pavidi; nulle furum diurne acies campis explicabantur; nulli armati societatum duces famam sibi gentium cladibus et propria feritate quesierant. Quintus et vigesimus annus est ex quo auribus primum nostris horrisonum hoc nomen intonuit; quod malum brevi quantum creverit quorsum ve processerit videmus, at miseri cives et agricole, imo et reges et pontifices usque ad summum maximumque omnium, experti sunt. Qui, ut supra attigi, ad Rodanum, unde nuper abiit, semiobsessus ab illis atque ad indignam redemptionem extitit coactus; quod nec ipse tunc tacitus tulit, sed inter suos merito quidem graviter questus est, nec ego ad eum scribens silui. Quis terribilem igitur et infandam hanc mutationem temporum non agnoscit aut quis negat? Consequens enim est ut aut sensu careat aut pudore. Dissimulari nequit, se se oculis ingerens, pessimarum ac novarum rerum fulgor horrificus ac lugubris, quando ea nunc quotidie mundus infelix patitur que nuper hominum nullus audierat.

[14] Quid de aliis? nomen pestis auditum erat et in libris lectum; pestis universalis exhausura orbem visa non erat nec audita: hec per annos iam viginti ita omnes terras proterit, ut intermissa quidem alicubi forsitan aut lentescens, extincta utique nusquam sit adhuc; ita in dies, dum visa est abiisse, revertitur, brevique gaudio circumventos aggreditur. Et hec ipsa divine, nisi fallor, ire testis ac scelerum humanorum; si quando finirentur aut decrescerent, celestes quoque mitescerent ultiones.

[15] Terremotus preterea auditum lectumque erat nomen, at rem ipsam ab historicis, rei causam a phisicis querebamus, et motiunculas nocturnas forte aliquas, raras quidem et ambiguas somnioque simillimas, curiosi sibi homines fingebant: terremotum verum nostro evo nullus senserat. Vigesimus annus est nunc (unum enim mali utriusque principium fuit) ex quo Alpes nostre, quarum motus insolitos ait Maro, octavo kalendas Februarias tremuere, inclinata iam parumper ad occasum die, Italieque simul ac Germanie pars

magna contremuit tam vehementer, ut adesse mundi finem inexperti quidam crederent, quibus insueta prorsus et nunquam cogitata res erat.

[16] Verone tunc in bibliotheca mea solus sedens, quanquam non in totum rei nescius, repentina tamen et nova re percussus, solo tremente sub pedibus et undique concursantibus ac ruentibus libellis, obstupui, et egressus thalamo familiam moxque populum trepidissime fluctuantem vidi. Omnium in ore funereus pallor erat. Qui hunc proxime secutus est anno, Roma tremuit usque ad ruinam turrium ac templorum; simul et partes Etrurie tremuerunt, de quo tunc solicitus ad Socratem nostrum scripsi. Anno inde septimo tremuit inferior Germania totaque Rheni vallis, quo tremore Basilea concidit, non tam magna urbs quam pulcra et, ut videbatur, stabilis; sed contra nature impetum nichil est stabile. Inde ego paucis ante diebus abieram, Cesare ibi hoc nostro, bono quidem mitique principe sed ad omnia lento, per mensem expectato, qui michi tandem in extrema barbarie querendus fuit. De quo motu ad Iohannem urbis illius venerandum presulem scribere animus, fuit, quod ab illo satis honorifice visum me non oblivescerer, at an scripserim non memini: apud me autem exemplum epystole non extat. Ceterum die illo in ipsius Rheni ripis hinc atque hinc octoginta vel eo amplius castella solo equata referuntur. Futurum nostra illa prima etate portentum memorabile, si pastoris leve tugurium tremuisset; at malorum usus metum ac stuporem mortalibus excutit. Et in iis quidem mutatio de qua loquor, eminet, causis latentibus, ut dicebam; nisi quod credendum est ut alia sic et hec culpis hominum provenire, quarum nullus est modus aut numerus; interesse autem quod illa homines faciunt, hec natura, permittente quidem aut iubente Deo propter humana flagitia; que, si quando desinerent, desinerent et flagella. Postremo quecumque sit malorum causa, quisquis agens, hec veritas est.

[17] En, pater, ut die uno annos nostros omnes tibi ante oculos congessi, merito quidem longe impares numero autem pares; quem ego nuper ad amicum scribens bona fide sum professus. Tu an idem facias an adhuc, quod nonnulli senum solent, iuventam respiciens aliquid etiam nunc occultes, nescio. Vive felix et vale, nostri memor.

# Liber 11

2

## Ad Franciscum Bruni

*Ad Franciscum Bruni pape secretarium.*

[1] Forsan, amice, de responsi mei tarditate miraberis sed, cognita causa, desines mirari. Scito igitur me hinc sub adventum tuarum literarum abiisse: magnis enim precibus et repetitis literis Ticinum iterum atque iterum evocabar. Et quamvis nature mee infesta estas adventaret meque hinc quietis amor stringeret, illinc status presens et suspectum latrunculis deterreret iter, urgente tamen hinc ingratim metu honestique inde specie animum attrahente, quod scilicet ad tractatum tante pacis evocatum me sentirem, si fortassis ulla ex parte bono publico utilis esse possem, parui; digressusque Patavio ad. VIII Kal. Iunias, sexto illuc die hora tertia perveni. Ne in singulis morer, illico redditurus fueram non obstante tibie collisione qua in parte corporis a pueritia parum felix fui et que me, cum sepe olim, tum per hos dies complusculos afflixit invisasque inter medicorum manus usque nunc detinet, nisi quod, estuante in horas bello, iam terrestre iter ad redditum prorsus obstructum erat, nec navis ulla prece vel pretio reperiri poterat que se periculo exponere auderet. Etsi enim Padus ipse etiam bello arderet, sperabam tamen eo calle a fortuitis me predonibus tutiorem, quibus cessantibus nil timebam, ratus meum propositum atque amorem pacis et belli odium utriusque partium notum esse. Et sic accidit. Siquidem mense ibi integro et amplius inter navis inquisitionem et difficultates rerum varias absumpto, tandem nauclerus unus non tam pavidus affuit qui, securum me videns, et ipse desiit timere, cuius in navim mirantibus

cuntis, quibusdam vero et reprehendentibus, introivi. Successitque feliciter, duce Deo. Cum enim ubique classes in undis armatas, ubique in ripis armatas acies invenerim, nautis famulisque trementibus atque pallentibus, ego unus, seu hanc amentiam seu fidutiam quis dixerit, ubique intrepidus atque inermis occurri, non solum incolumis sed etiam honoratus, uno omnibus ore patentibus non esse alium preter me qui iter illud ageret securus; cumque ego id mee tribuerem parvitati: solere enim animalia parva, qua magna non possent, transilire. Una omnes voce similiter respondebant neque magnum neque parvum inveniri posse qui non alterutris vel invisus esset vel suspectus; denique — narro, non sum nescius, plura quam necesse est quia certum habeo te libenter hec legere — ubi omnes capti vel occisi et certe spoliati omnes essent, ego vino et altilibus et pomis et specibus sic onustam puppim habui, ut non ferocitas quidem ulla, sed liberalitas bellatorum meum illud iter pacificum retardaret. Quorum nichil penitus meritis meis, sed divine cuncta clementie ascribo que michi et amicum pacis dedit animum et hunc ipsum omnibus late notum, inque meo clare legibilem vultu fecit. Sed progredior.

[2] Cum tandem Patavium nudiustertius ad vesperam pervenissem imbre perpeti atque ingenti, is qui huic urbi presidet, amicus tuus, vir potentia magnus sed virtute maior, ante expectatum redditu meo letus, usque ad portam civitatis michi obviam venit, sed nocte repulsus ac pluvia, dimisit e suis qui apertos michi aditus servarent. Et quantum honoris atque amoris sero illo in me congesserit, non missis tantum famulis rerum onustis variarum, sed demum ipse cum paucis ad me veniens ac cenanti assidens, et post cenam illic inter libros in noctem usque concubiam comitatus confabulationibus colloquiisque gratissimis neque si narrare velim potero, neque, si possim, fides dabitur. At post dies paucos, cum iam reditus meus Venetiis notus esset, Donatus noster gramaticus qui ibidem literas

michi tuas simulque apostolicas reservabat, utrasque michi attulit, et tuas quidem letus ut soleo, illas non reverens modo, sed stupidus ac submissus accepi. Utrobique sane nondum, date die, secundas epystulas meas illuc pervenisse cognovi, neque miratus sum; preter enim absentie mee moram, literas ipsas apostolicas iam bullatas apud te diutius substitisse ipsis in literis tuis legi. Ad has quidem Sanctissimi Domini nostri literas quid respondeam videbis; nempe qui et responsionem meam iure tuo perleges et quod michi meo iure polliceor tue vive vocis adiuvabis oraculo. Iam quod dominicis ipsis in literis clare satis, in tuis etiam expressius continetur, reculas meas tanto iudicio probari, divine sueque gratie tribuendum scio; ego autem etsi indignus hec audiam, nichil tamen possem gratius audire: est et prosperitatis immerite iocunditas ac voluptas quedam, nec indoctus docti famam respuit et deformis virguncula se formosam sponso visam gaudet. Expecto nunc secunde epystole fortunam; nam prima utique fortunatior esse non potuit quam summo hominum placuisse, cui me, oro, cum omni qua potes reverentia recommenda. Scripsi tibi cor meum erga illius sanctitatem, et cupiditas mea seu de illo spes quenam esset aperui, ut nosses, quoad hoc, me passionibus expeditum loqui; dixi quod in animo erat, nec repetitione res indiget et te memorem esse et michi apud te fidem non deesse confido. Sane quod in principio tuarum literarum legi, quotiens ad scribendum venis sic animum tibi mee virtutis admiratione perstringi ut vel non incipiat vel inceptum deserat, scio te iocari tecum, et potes quidem, fateor, tecum non aliter quam tecum loqui omnia. Nam si alter hoc diceret, non ludere illum arbitrarer sed illudere; nichil enim est in me mirabile nisi, in tanta virtutis ac scientie penuria, tanta vite securitas ac libertas fandi de simplicitate oriens, bona utinam! Urbana quidem excusatio ista silentii, vere autem tua satis occupatio, te excusat. Colutium, cuius me verbis salutasti, ut salvere iubeas precor, et talem tibi operum participem

obtigisse gaudeo, utriusque requiem obtigisse gavisurus magis, quamvis gloriosum laborem magnis delectationibus abundare non dubitem; sed id amicis optare soleo quod michi. Vale.

Patavi, XI Kal. Augustas.

7

### Ad Antonium Donati

*Ad Antonium Donati Apenninigene filium.*

[1] Fili, literulam tuam perbrevem, neque ut ita dixerim te maiorem sed etatule et corpusculo tuo parem, ingenii rudimentum et stili tui primitias, libens vidi. Et ita, precor, fac: exerce animum, experire, enitere et assurge. Non videbit autumnus rami fructum, cuius flores ver non vidit. Scribe, lege, meditare, addisce, stude ut doctus, sed multo maxime ut vir bonus et quotidie te melior fias. Et cave ne sine diurno lucro aliquo te vesper inveniat, ita ut brevi et illi qui te genuit gaudio, et michi qui te diligo esse possis auxilio. Ille enim a quo auxilium sperabam, qui post me venit, ante me factus est — opinione saltem sua — de milite dux, de discipulo magister. Vale et utrunque iubeas salvare parentem.

Ticini, XVIII Kal. Decembbris.

10

### Ad Lombardum a Serico

*Ad Lombardum a Serico, brevis consolatio.*

[1] Dulci quadam velut acreidine acrique dulcedine epystolam tuam legi, amice. Ita michi suaviter annosi patris interitum defles, ut et tibi

compatiar at tue gratuler pietati, qua nil melius nil suum magis est homini et presertim filio. Solare animum: et nature pater et tu patri debitum persolvisti. Sera illius et sat dilata solutio; tempestiva et precox pietas tua est. Non est quod queraris; est quod gaudeas. Ad hoc ille natus erat ut moreretur, et per hoc breve iter ac difficile in patriam remearet, seu rectius dicitur perveniret. Ad hoc omnes nati sumus; viarum varietas multa, omnium finis idem mors: imo vero non finis, sed transitus bonis optabilis. Eque naturale certe nec miserius est mori quam nasci, et fortasse felicius. Vale et viriliter age; atque amissō gubernatore tuis iam manibus clavum rege.

# Liber 12

## 1

### Ad Iohannem Patavinum

*Iohanni Patavino, physico insigni, de quibusdam consiliis medicine.*

[1] Obtulisti michi materiam iocandi in malis. Ludit apud Ciceronem vir egregius in morte; ego nondum quidem in morte, sed in morbo gravi ac multiplici et nescio quam vicinus morti, ludam tecum. Non soleo disputare de incognitis, ut multi, qui, dum videri sapientes cupiunt, insipientiam detegunt, omniaque, ut ait comicus, «intelligendo, faciunt ut nichil intelligent». [2] Quomodo ego, qui medicine nunquam oculos seu aures, ne dicam animum, applicui, imo qui prosperrima ad hoc tempus fretus valitudine, verum ut fatear, illud studium velut michi supervacuum neglexi et non quidem artem ipsam, sed artifices parvipendi, preter aliquot raros, quos dilexi, quoniam veri michi medici viderentur; quomodo, inquam, talis ego cum principe medicorum huius temporis, aut unico, aut uno ex paucis, disputarem de rebus ad medicum spectantibus? Non disputatio ergo, sed ludus instituitur, ut tantisper et tu curas meas rideas et ego malorum presentium obliviscar ac morborum qui me «agmine facto», ut satiricus ait, circumsiliunt et infestant. [3] Misisti michi plenam fidei epistolam, plenam solitudinis, plenam artis, quam professus es, cui, quantum ego arbitror, nil adderet Ypocras, nil demeret, nil mutaret; quidni autem ille consiliis tuis acquiesceret, cuius e fontibus hausta sunt, cum ego horum inscius et contemptor, in multis tamen ratione victus, acquieverim? [4] Scribis pro remedio status mei, etsi non omnimoda, at aliquali mutatione vite seu victus soliti opus esse; quod quidem

sine contradictione concesserim. Habet enim etas quilibet sua, ut animi, sic et corporis alimenta, et sicut studia puerorum non conveniunt senibus, sic nec cibi omnes. [5] Ita suum hoc distinxit opificium natura, ut unaqueque pars preclari, licet fragilis caducique operis, suis pro varietate temporum sit fulta presidiis; et ut doctus architectus in eadem domo estivas et hibernas ac reliquis anni partibus suas cuique distrib[uit] mansiones, sic natura solers ac provida in eodem homine varias statuit etates et cuique sua quedam propria et attributa constituit. [6] Pri[mum] ver etatis infantiam ac pueritiam voco; has adolescentia sequitur, quasi ver preceps et estati proximum; et quamvis nulla etas vanior, nu[lla] inconsultior, nulla in libidinum irritamenta proclivior, hanc tamen, illa quam estatem vite dixerim, iuventa consequitur, non iam florida, [vi]rens tamen et non quidem tam ventosa seu mobilis, sed maioribus cupidinum atque irarum ignibus estuans; hanc subit etas iste maturior, senectus, a sexagesimo anno, ut Augustino videtur, incipiens, quanquam aliis aliter visum sit; similis hec autumno et tranquillior cunctis et lenior et legendis fructibus retroacti temporis aptior, evo consumptis et virtutum studio domitis estibus passionum; ultima est hiems senii iners, frigida et quietis appetens et caloris, quam quedam tamen magna olim et prefervida ingenia concalescere coegerunt; de quo nunc agere longum est. [7] Ut igitur has etates, quod de tribus expertus sum, de quarta auguror, studiis atque exercitiis distinctas fateor, sic et cibis et alimentis arbitror. [8] Ecce autem ut causam ego tuam adiupo et quod breviter stringis, latius explico, ubi unum interfatus, pergam quo disposui, quod tu quidem non pro adulacione publica, sed pro veritate et pro nostra singulari amicitia dictum crede, obsecro. Quicquid igitur Ypocrati aut Esculapio, id et tibi crederem et fortasse plus aliquid, quia quem summis arte ac scientia parem reor, fide et caritate superiorem scio; quamobrem siquid aliter ac tu dixero, aut si adversari videar, aut adverser, feres amico

animo, meque non tibi, sed his, quos modo dicebam, medicine repertoribus adversatum finges. [9] Iam primum illud certum habeo, non aliter tibi salutem meam quam tuam propriam cordi esse; neque illud minus michi persuadeo, eorum que a maioribus vestris scripta sunt, nil tibi prorsus incognitum, quin et aliqua forsitan ingenio te illis ac studio adiecerint. Nulla hinc questio, nulla repugnantia. [10] Illud in dubium venit, an cuncta que illis exciderint, quasi divino ore prolatas, sic fide mereantur, ut contra sentire nefas sit, et Ypocratem quidem purum hominem, Esculapium vero deum habitum non apud suos tantum, sed apud nos etiam novi, a maiori tamen fulminatum deo. [11] Neque vero sum nescius, si tuorum te auctorum dictis uti patiar, quicquid voles nullo negotio probaturum, sed in causa propria testimonia sunt suspecta domestica. Scio aliquos, dum de veritate aut falsitate discipline cuiuspiam altercantur, in medium adducere solitos eiusdem ipsius artis auctores; quorum de fide questio prima est, quod michi non mediocre in disputando vitium videtur, ad probandum quod velis, id afferre quod non possis, quia non constet, et dubium, ut sic dicam, per ambiguum probare; non recipio fidei testem ancipitis, laudatum licet inter suos. Procedo autem. [12] Dicis, et quasi fundamentum consilii tui ponis, etatem simulque naturam meam lapsu temporis immutatam, itaque me prorsus philosophico monitu respicere ad etatem iubes; in quo plane tecum sentis et id dicis verbo, quod ego rebus ipsis experior. Iuvat enim nunc etiam causam tuam agere. [13] Magnus est, amice, imo inextimabilis vite cursus, dicam melius volatus. «Volat enim etas», inquit Cicero. Adderem, hercle, si scirem, ad volatum aliquid; nulla hirundo, nullus sic volat herodius, ut vite nostre dies volant. In illis enim motus alarum internoscimus et spatia et progressum et appropinquantes termino et iamiam perventuros cernimus; in nobis autem, nisi forsitan aliquibus, hisque perpaucis et celesti preditis ingenio atque animo, nil omnino, nisi nos inopinantes ac stupidos

pervenisse; quocirca v[ola]tum hunc etatis non avis volatui similem recte quis dixerit, sed sagitte, quam non arcus imp[ule]rit, sed balista. [14] Que si tam bene iuvenibus nota essent, quam sunt senibus, et illius etatis honestior atque innocentior vita esset, et huius recordatio gravior atque iocundior. At nunc cecam et improvidam adolescentiam rapidamque iuventam longioris vite spes in scelera et probra multa precipitat, que tum demum dum caveri nequeunt, nec iam aliter quam penitentia et lacrimis dilui, experrecta serum conspicit senectus et fallaci quorsum spei fidendum esset intelligit. [15] Distinguimus etates pro varietate sententiarum, quod ipse ego nunc, ut vides, feci et quod in frusta dividimus, esse magnum aliquid ostendimus. Hinc spes longas et telas inexplicabiles ordimur et ingentia rerum difficultum iacimus fundamenta, proponimusque animis perpetuam iuventutem ac felicitatem, cras futuri senes ac miseri; non quod per se miseram senectutem dicam, sed felicem potius, nisi preteritarum etatum delusa esset erroribus, neque vero vel sic miseram, modo assurgat et discussis inanibus sapientiam et veras opiniones, iuxta platonicam sententiam, extrema quamvis etate percipiat. [16] Quod si philosophis visum est, quid videri nobis debet? quibus et sapientiam et virtutem et salutem assequi sine curiositate aut labore nimio, qualis illorum fuit, sobrio animi dolore pioque gemitu datum est. Illa vere misera est senectus que hinc fragilitate corporea, ut mea nunc, morbisque senilibus, hinc petulantia iuvenili, quam Deus a nobis longe faciat, et turbidis motibus quatitur animorum. [17] Sed redeo ad errores iuvenum et spes vanas; quid his enim, queso, non liceat, quibus nemo obstat, omnes favent, non vulgus modo, sed humanum genus? Ceterum fallant sese homines, ut libet: totum hoc quod distinguimus, quod multiplicamus, quod extendimus, nichil est; proinde hic est ille etatis nostre rapidissimus volatus, de quo nemo cogitat, nemo non loquitur; nemo, inquam, cogitat, nisi in finem, quando in tergum

versus et exacta remetiens somniasse quodammodo se extimat, non vixisse. [18] Mutari autem cum estate hominem quis non sentit? aut quis est qui negare audeat? Adhuc quidem causam tuam munio. Cedunt annis arces marmoree, nedum terreus homuntio ex contrariis compactus humoribus; cedunt menia fortissimarum urbium: nonne vides ut Babilon illa vetus interiit? Troia corruit et Carthago, quibus duabus non tam anni nocuere, quam ignes et gladii et arietes; Chorintus et Siracuse et Capua et Aquilegia et Clusium et Tarentum parve sunt veterum urbium reliquie; Lacedemon et Athene nuda sunt nomina; Roma senio succumbit iamque succubuisset et tota in cinerem versa esset, nisi eam clari nominis sustentaret autoritas; innumerabiles alie nunc senescunt, suum et ipse exitum habiture, cito quidem, sed ignotum nobis, eo quod longior sit etas urbium quam hominum; prius ergo quam una urbs senescat, multa hominum milia senuerint, neque homines tantum, sed fame hominum obierint, annis tacite seclisque labentibus. [19] Quid miri autem, si manu facte urbes cedunt senio? Rupes cedunt et fuga montium statum ac naturam mutant, unde iam Vesevus frixit, Ethna tepuit, Alpes multis locis subsedere, abscisque undis Pelorus siculus atque italus Appenninus, ubi fron[do]sis olim collibus stabant, nunc infamem despiciunt Caribdim horrisonis fluitare verticibus. Ad extremum, etsi hoc unum magni negent vi[ri] (magni, inquam, in aliis, in hoc parvi), evo, ut credimus, mundus cedet. [20] Quidni igitur cedam ego? Cessi equidem, ac si dici licet ultra communem [m]odium sobrie temperanterque viventium, quorum me numeris inserere, non meo certe iudicio, sed aliorum testimonio fortasse ausim. [21] Sunt ecce michi, dicam verius, fuerunt, vite anni sex et sexaginta, qui dum singulos cogito multa michi annorum milia videntur, at dum omnes simul, dies unus, isque et brevis et nubilus et laboriosus et miser, et cum multos libidinosos ebrios octogenarios sat bene valentes noverim, hic me annus sic affecit, ut sine ope

famulorum multis iam diebus immobilis sim; pondus mestum, grave aliis, odiosum michi. [22] Quid hic rei est? Audio iam hinc te et concinentes undique medicos aque potum unam esse vel precipuam mali causam; o felix ebrietas! addent alii pomorum esum, fugam carnium, [iei]unium; o infausta sobrietas! ergo sanum nichil, nisi ebriorum potus et luporum cibus? Sed de his tecum integra michi nunc etiam lis manet. [23] Erit forte aliquis non medicus, qui peccatum meum rei causam solam dicat; quod si admittimus, Deo meo gratias ago, qui multorum criminum fedas notas levi suppicio expurgat. Quod si aliam causam, malitiam quis complexionis obiecerit, testem vivum et fidedignum proferam, illum alterum medicorum modo tecum principem, siquid fame credimus, compatriotam meum Thomam; possem alios, sed mortuos testes ad iudicium vocare ridiculum. [24] Ille ergo anno altero, apud Ticinum, ubi tunc eramus, sub amico illo tuo Ligurum domino, turba nobilium audiente, iuravit nullum se unquam corpus meo solidius (suo utor verbo), nullum sanius, nullam complexionem vidisse nobiliorem; et certe, quamvis magnarum nunquam virium me fuisse meminerim, agilitate tamen ac dexteritate corporis tanta fui, ut posse vix crederem ab aliquo superari; que etsi prime fere post tenerum et labile come decus in hominibus pereant, me gradatim tamen, ita usque ad hoc tempus comitate erant, ut preter saltum ac cursum, quibus iam nec egeo, nec delector, nullam quasi iacturam etatis hac in parte sentirem. Annus hic omnium vicem gessit annorum; longa ergo nempe annua egritudine sic deiectus sum, ut non meis pedibus, sed famulorum brachiis assurgere valeam aut moveri. [25] Gaudeo, edepol, ut in malis, quod non hic sexagesimus tertius, de quo multa olim ad Iohannem alterum scripsi, sed sexagesimus sextus est; quamvis enim exoticis suspectisque dogmatibus non facile flecti possim, poteram tamen fortasse, si tunc ista michi evenissent, errore illo astrologorum, de quo tunc agebatur, etsi non opprimi, tangi

tamen. [26] Sed omissa, quod ad me attinet, causarum indagine, cum illa anceps, effectus autem certi sint, tu ut phisicus, ut amicus, ut vir bonus remedia mali huius tuo quidem ingenio et alte excogitata et diligenter conscripta transmittis; que, si rite numero, sunt sex; premittam vero illa tria, in quibus michi tecum nulla lis erit. Iubes ex precepto artis tue, ut carnibus ac piscibus salsis et herbis crudis abstineam, quibus delectari soleo; parebo equidem, nam et natura mea, ipsa sibi consulens, hoc ciborum genus solito parcus appetit, parata his carere perpetuo, si necesse sit. [27] Ad tria illa festino, in quibus a te paululum, imo valde dissentio. Iubes ut ieunium a pueritia usque ad hanc etatem sine intermissione servatum linquam et inertis more cursoris in stadii fine deficiam; atqui non nunc noviter audio concilia medicorum divinis adversa esse consiliis, nec sum nescius quid et medici et qui ieunium damnant dicere soliti sint, utilius esse et honestius cibum partiri, quodque uno prandio sis sumpturus, in prandium cenamque dividere. [28] Haud irrationabile forsitan, si dictis facta congruerent; at qui hec dicunt (interfui enim vite consultorum talium) et mane se implent et sero sese ingurgitant: ita cibum non dividunt, sed duplicant, platonicum illud oblii: «Nullo, inquit, modo michi placuit bis in die saturum fieri». Proinde, si Deus me restaurare dignabitur, solitum et connaturatum iam michi ieunium non omittam, neque nunc omitto, nisi eatenus, ut sexte ferie ieunium panis et aque, tantisper dum hec repentina fragilitas cedit, ad morem ieunii communis inflexerim, Deo auspice mox ad consuetudinem reversurus. [29] Sed iam senior, imbecilliorque non poteris. Imo quidem ego etiam «omnia possum in eo qui me confortat». Sed qui hoc dixit Apostolus, tu peccator magnus es. An non et ipse peccator ante quam apostolus? an vero peccatores, qui eius nomen implorant, Cristus deseret, propter quos e celo in terram venit? Non sum diffidentie filius; de me quidem valde metuo, de illo autem, nichil meritus, fateor, multum spero et

posse non dubito, non hec modo ieunia feminis etiam puerisque facilia, sed aspera quelibet ipso adiuvante perficere. [30] An vero non tot decrepiti senes in deserto panem hispidum et torrentis aquam in delitiis habuere, perpetuo ieunio et fortes et vegeti? Non legisti Antonium prope centenarium et Paulum centenario maiorem pane unico et exigui vena fontis letum illud sacrumque convivium apud Ieronimum celebrantes? Quod quotiens piis auribus audimus piisque oculis legimus, nullo cibo aut potu, sola virorum talium commemoratione reficimur. [31] At illis, dicat aliquis, aderat Deus. Quis hoc nescit? sed et nobis adest, alioquin non essemus. An ego defuturum michi Deum rear, dum presertim boni aliquid moliar? an qui michi contemnenti affuit et peccanti, penitenti non aderit et precanti? Possum, amice, ieunare, ne dubita; noli omnia tuis auctoribus credere: [crede] [aliqui]d [amico] [cu]i nunquam ieunium nocuit aut nocebit. Nam quid cause, dicam, quod anicule tremule totos menses victu duro et tenui ieunant, nos viri lauto largoque victu diem unum ieunare non possumus? [32] Non hec fragilitas, michi crede, sed gula est. Non est igitur cur honestum et innoxium intermittam morem, imo quidem, sicut sancta canit Ecclesia, saluti animarum simul et corporum institutum; ita enim sentio fame aliquos, plures crapula, nullum penitus ieunio periisse. [33] Progrediamur ad reliqua. Aliud ex consiliis, non tam tuis, quam medicorum omnium (tu enim sciens, credo, cum litigioso homine tibi rem esse, cautius agis, sed ex aliorum sententiis tuam metior, quam tu quoque lentius vibras et in transitu), est autem ut pomis et omni genere fructuum arboreorum quasi aconito abstineam aut cicuta. In hoc autem ac sequenti concilio temperare non potero, quominus aliqua repetam ex his que olim ad Iohannem illum alterum scripsi, cuius supra mentio est habita. [34] Hoc intererit, quod tunc iratus recenti memoria contentionis antique, que michi cum pape medicis fuit in Gallia, qui nescio cur fame mee, nescio an

et vite, bellum indixerant, quod epistolam unam brevem, sed, ni fallor, veram, ausus fueram scripsisse pontifici, nunc placatus et illius immemor tumultus cum amico iocans scribo. [35] Deus enim bone: q[uod] hic odium, que ve infamia pulcerrime rei est, et, gustum simul et tactum et nares et oculos delectantis? Omnes ne igitur homines insaniunt, solus [is] sapuit qui pomis immeritis maculam hanc inussit? Quomodo autem natura sic humanum genus illuderet, ut ubi multum oblectationis et gratie pone[bat], ibi plurimum discriminis abderet? non est hoc pie matris, sed noverce impie et immanis, melle virus abscondere. [36] Nam si dicitur: non [fructus], sed eorum immodicum esum damnamus, nulla iam superest questio, siquidem et perdicum et fasianorum, quorum apud vos, ut audio, laudatissime carne[s] [sunt], esus nimius nocet. Quam hinc poma infamiam meruere? non res ipsa reprehenditur, sed excessus, eque in rebus omnibus reprehendendus. [37] Ali[oquin] quo hic tantus agricolarum labor et industria? Quid de hac arte tractantibus et grecis facias et latinis, Hesiodo, Virgilio, Cato[ni], Varroni, Palladio, multisque aliis? quid denique Ciceroni, in eo presertim libro quo senectutem defendit ab his vitiis atque incommo[dis], que insani iuvenes illi obiciunt etati, in quo quidem Cato ipse Censorius inducit, tantus vir, agriculturam, mechanicam licet, tamen hauddubie utilissimam mundo artem, miris laudibus efferens atque inter multa salubria ac iocunda conditionibus atque insitionibus arborum nichil illam asserens invenisse solertius? quid demum Ciro Persarum regi, quem eodem libro arborum quas sevisset ipse suis manibus serendasque dictasset specie atque ordinibus gloriantem legimus? quid postremo romanis ducibus Appio et Decio, a quibus poma Appia et Decia in Italiam advecta, illa predulcia, hec vero subacria, [utraque] sapi[dissi]ma, suorum nomina traxisse videntur auctorum? [38] Et quoniam ab antiquis licet sine periculo dissentire, quid amico facimus communi? quo nescio an seu vir melior, seu

nostri amantior alius usquam sit; qui per cuntos angulos Italie omne genus fructiferarum arborum quesivit, et incertum an Italia longius hac inquisitione penetraverit, ut non sua tantum, sed amicorum viridaria peregrinis arboribus exornaret. Dicemus ne igitur et modernos omnes et antiquos, preter solos medicos, insanisse? [39] Profecto enim, si huiuscemodi arbores iure damnantur a medicis, non mediocris insania est tanto studio nociva conquirere, quanto vix proficua debuissent. Quod, si neque arbores ipse, neque illarum fetus, sed incontinentia sola reprehenditur, iam supra responsum habes, quamvis ego notissimos medicorum, ut hac saltem in parte illos excusem, aliter docentes, aliter prandentes, aliter dictantes, aliter cenantes sepe notaverim. [40] Ultimum restat (ita meis alienum sensibus, ut stupore ipso calatum frenet): pure aque potus interdicitur. Cur, queso? An forte ideo quia magnus ille vir ex vestris aque nullum opus invenisse se dicit, nisi quod bibitur in acutis; et in se forsitan verum dicit; sed an vere nullum aque opus aliud sit, de hoc queri potest; imo nec de hoc quidem, ut arbitror, queri debet. Quid enim? pro superum atque hominum fidem! [41] Ita ne ergo senex unus greculus forte vini amicus, aque hostis, tot fontes lucidissimos, tot puteos profundissimos, tot rivos amenissimos et ad summam totum hoc nature parentis iocundissimum elementum uno tam brevi substulit ac siccavit elogio? quid hic dicam? nisi miseras tot alpinas gentes, que liquidis fontibus sitim sedant, vinum non modo non habent, sed nec noscunt quidem; vivunt tamen, multo etiam salubrius quam nos meribibuli, quibus unum diem vino caruisse supplicium est; miseros patres illos nostri generis, ante quam vinea plantaretur, quorum tamen vite spatium sine nostris morbis prope ad millesimum tendebatur annum; miseras matronas Romanorum illas primas, quibus vinum bibere capitale fuit, usque adeo ut qui illud bibentem coniugem occidisset, non ultore tantum, sed reprehensore caruerit; nec tamen inutiles ideo, nec exangues femine

illos filios peperere, quos nunc etiam admiramus, cultores virtutum, expulsores vitiorum, passionum ac gentium domitores, cum potrices nostre nobis istos pariant, quos videmus; miseros Gallorum antiquissimos, ante quam vinum nossent, cuius usum, ut scriptum vides, Roma iam adolescente didicerunt; et non potius hos miseros Bachi et Veneris sacerdotes, qui propter vini patrii saporem Cristum, Petrum, fidem, decus atque animas suas, quas mortales putant, et male sibi creditam Ecclesiam derelinquunt; quamquam enim hic latentior causa sit, tamen ista pretenditur, ut sepe dixi: malunt enim ebrietatem fateri, quam impietatem, cum negare neutram possint; miseros ad extremum non Indorum modo philosophos, quos Gignosophistas ac Bragmanos vocant, quorum princeps fontis aquam bibens, uber se terre matris incorruptum sugere gloriatur, sed fere omnes totius populos Orientis, quibus lege lata vini potus eripitur; solos denique nos felices, qui vini dolia facti sumus. [42] Ubi unum siluisse noluerim contra nostram vinolentiam, nescio an veracius dictum an mordacius. Cum nuper inter Soldanum Babilonis egyptie et nostros belli cause (heu non de fide Cristi, neque saltem de imperio aut gloria, sed de mercibus atque avaritia) orte essent, regeretque tunc Egiptum et Soldanum puerum vir quidam consilio sublimis, conditione humilis, ut quem ante paucos annos ere venditum fama esset, sed quem subito sua sors extulerat, ut ex alto rueret, atque illi e suis quidam suaderent, ut Mitridaticum sequens morem, ante quam Cristiani fines suos, ut minabantur, invaderent, omnes qui sub eo essent morte multaret: «Non est, inquit ille, temere committendum, ut insolentes et nostro utiles imperio perimamus; neque vero Christianorum minis ac iactantia nos moveri oportet; etsi enim potentes ac magnanimi viri sint, vinum tamen bibunt, et idcirco multa sero minantur, quorum mane non reminiscuntur». O latratum canis perfidi, contumeliosum fateor, sed verum. [43] Sic est enim: vitam nostram vites nostre dehonestant et fervente venis vino,

vani facti sumus modestiamque et rerum ac verborum fidem exclusit ebrietas, nec amici nobis credunt, nec nos hostes metuunt, quia fere ad mensam et promittimus et minamur. Que licet non vini quoque, sed abutentium culpa sit, quia tamen late patene et radicatum nimis est vitium, neque iam aliter quam vini penuria extirpari potest, crederem mediusfidius expediens mundo, ne vinum usquam nisi ad sacra reperiretur. [44] Clamabis tu et tota acies tua: «Quid facerent stomaci?» Quiescerent, non ferverent, non tumerent, non ructarent, non spumarent, non pugnarent; facerent quod fecerunt veterum stomaci, prius quam vini usus esset, hodieque faciunt quibus vini usus nondum est. Sed nos gule culpam stomaco damus et invectos vino morbos vino pellere, quasi flammam flammis extinguere, nitimur. [45] Scio hominem, qui nunc etiam superest, nec procul hinc abest, suarum rerum testis ydoneus; hunc ego adolescens sua adhuc viridi etate cognoveram, sic podagra pressum ac cyragra, ut nulli pene rei utilis haberetur. Revisi eum post decennium incolumem, nullis podagre veterisque malis vestigiis, utentem expedito et libero membrorum ministerio. Obstupui; ille causam stuporis intelligens: «Vinum, inquit, me fregerat ac ligarat; aqua me restituit atque absolvit». Nudiustertius, cum podagram illi reversam post tam longum tempus ex filio audivisset, scripsi sibi, videret ne cum amico eius vino hostis podagra subiisset; cui ille non id vini potu, sed esu tantum immersi vino panis accidisse respondit. [46] I, nunc, et rem optimam vinum nega, quod [po]dagram facit et conservat et revocat, solo, ut sic dixerim, odore. Multa mala vino accident mortalibus, et vos aque potum interdictis ho[min]ji ab infantia pueritiaeque et usque sub finem adolescentie iugi aque potu enutrito et, consuetudine in naturam versa, quod maxime [vestri], ut audio, trutinandum dicunt, vix serum ad potorum vini signa translato, fontem tamen adhuc plus aliquanto quam dolium amanti. [47] Nec [m]e fugit obstare michi

illud Apostoli ad Thimoteum scribentis: «Noli, inquit, adhuc aquam bibere». Ecce nonne hic tecum loqui videtur et me alloqui? [F]ieri autem potest ut ille vel consuetudinem, vel naturam alteram et mee dissonam haberet et a iuventute vino usus, senior aque assuesceret, cuius contra[r]ium in me est; itaque mutationem hanc, ex devotione forsitan exortam, illi damnosam intelligens Paulus, id ei prohibet, quod michi prohibuisse damnosum sit; neque illi vinum tamen ut vinum, sed ut medicinam tribuit; ait enim: «Vino modico utere propter stomachum tuum et frequentes infirmitates tuas». [48] Ultimum certe hoc, annus iste michi novum et insolitum invexit, crebras scilicet egritudines. Sed dum sanus sum, stomachum non novi, de quo multi per singulos lamentantur dies; siquid autem aliquando forte gravedinis incidit, nil sanius experior, quam bone aque recentisque haustum. [49] Scio me rem novam medicis et incredibilem loqui; sed et michi, si mereor, de me ipso aliquid credi potest: milies hoc expertus affirmo. Sed mutata est etas: quis hoc nescit? et dum loquimur mutatur, mutabiturque tam diu, donec mutari amplius non possit, quod sola mors faciet. Nunquid autem excors hebesque adeo sum, ut quid michi prosit aut noceat non sentiam? Tepui equidem, non refrixi, meque ipso frigidior, sed coevis meis multis et iunioribus aliquanto calidior sum adhuc, et tamen aqua utor parcius quam solebam. [50] Quid vis amplius? ut aque prorsus abstineam frustra velis. Suspicor autem tuo et amicorum consilio actum esse, ut ad hos colles uberes atque amenos in reliquis, inaquosos tamen, venerim, ubi aquam puram bibere et si valde cupiam, non possim, inter fontem scilicet et hanc domum sic solis radio tepefactam, ut placida esse desierit. Sed si recentissimum urbane domus ad puteum rediero, huius memor incommodi videro quorsum medicorum concilio crediturus sim. [51] Tu tamen et doctrina fretus et ingenio, validum hic in me conficis argumentum: «Et si medicis, inquis, non vis credere, nunquid saltem tibi ipsi,

nunquid experientie, matri artium, non credes? Cogita quot tibi hic annus preter solitum morbos fecit, ex contemptu preceptorum medicine: aque potus, esus fructuum, ieiunia, horum cause sunt malorum». [52] Primam, ut vides, ultro fateor, morbos multos unum michi in tempus incidisse. Quis michi vero alteram probet, illas quas medici volunt causas, hec incommoda michi ante tempus attulisse, et non potius in longum tempus forsitan distulisse? Occulta quidem et profunda valde sunt nature opera, de quibus recte iudicare difficillimum est. Ceterum suo veritas loco stet; opinionem autem meam, michi multis firmatam experimentis, non dicam greculus ille unus, sed ne Greci quidem omnes eripient, non si Ulixes astu, ferro Achilles, Ajax impetu, Nestor autoritate, sceptro Agamennon redeat armatus. [53] Nec ignoro quid dicturus sis, nempe quod solitus es: «Fac ut libet, inquier; scito tamen, quia medicis non credendo minus vives». Satis vixi, amice; et si fabulam peregi, non recuso desinere, vel etiam imperfectam, si ludorum domino placet interrumpere. Fessus iam, nec si hodie moriar, iuste quidem de vite conquerar brevitate; nam si omnes ad meam perveniant etatem, orbis terre humano generi erit angustus, tantumque abest multum vivere ut cupiam, ut vixisse nimis verear, dum repeto quos amicos et quos viros quales ve premiserim et quam nichil hic fit, nisi idem hodie quod heri, quotidieque peius aliquid, quot undique pericula, quot fortune mine, quot habituum ludibria ab aquilone nascentia, unde omnis semper mali radix, moribusque barbaricis quam se docilem nostra prebet Italia, quod in aliis facile passurus, in hac egre patior; quantum denique virtutum exilium, quantum imperium vitiorum, quot hominum tedia, quot rerum. Hec inter tu suavem michi seu dulcem vitam putas? aspera et amara est, sed omnis asperitas et omnis amaritudo equanimitate et patientia lenienda est. Vite ergo patiens, non vite cupidus, vivo. [54] Qualiscunque autem vita hec prolongari posset, si medicis obedirem? Hoc ego certe, nec curo

penitus, nec scio. Imo unum fateor ex his que prorsus ignoro, sive enim quia vobis non usquequaque tuto creditur, sive quia vobis omnia credere difficile est et credentem aliqua non omnia credere periculosum: multos medicis obsequentes, quin et ipsos medicos, vite brevis et infirme, et rebellantes alios vite diuturnioris ac sanioris agnovi. [55] Proinde, nec mea vita, nec mortalis cuiuspam longa est; mea vero, secundum communem iuste vite modum, iam brevis esse non potest. Claudende aures vulgo sunt, excutienda errorum nubes et caligo, abicienda vite cupiditas, mortis metus, alioquin nullus erit finis, semper annis aliquid detrahere, semper nosmet ipsos fallere dulce erit, semper iuvenes et esse optabimus et videri: veram confessionem mors elicit. Ego non iam brevem, utinam non malam potius et inutilem [vi]tam q[ueror]. [56] Quadriennio me minus ac decennio vixit Maro, triennio minus vixit Cicero, triennio minus Aristotiles, decennio minus Cesar, decennio minus Scipio, ille orbis victor, hic Carthaginis eversor ac Numantie; Alexandrum sileo et Achillem, caducamque Priami familiam, et ex nostris Drusum, Germanicum, Marcellinum et reliquos illustres qui in ipso etatis flore perierunt. [57] An michi non sufficit tantos viros vite spatio excessisse? quamvis me decennio et Augustus et Augustinus excesserint, Plato tribus lustris, totidem Simonides et Crisippus, quattuor et eo amplius Cato, quinque et eo amplius Massin[is]sa, quin[que] Hiero [Sy]racu[s]ius, quinque Carneades, septem Valerius Corvinus ac Metellus et Fabius; accessere ad hunc numerum Ysocrates et Sophocles et Cleantes et Varro, vel hunc etiam attigere, quem Gorgias Leontinus septennio supergressus est. [58] Quid nunc igitur? Est ubi summa concupiscere virtus sit, at rerum labentium mediocritate contenti sumus. Quamvis igitur non vivendi voluptas, que michi, ut dixi, cernenti evi nostri mores, fateor, nulla est, sed studiorum meorum ratio plusculum aliquid vite poscat, sentio tamen quia si centum adhuc annos viverem, semper aliquid, (nescio quid)

deesset; quamobrem dico iterum: vixi satis. Vivam tamen adhuc quantum illi placuerit, de quo scriptum est: «Constituisti terminos eius, qui preteriri non poterunt», in omnibus Deo gratias agens et paratus ad utrumlibet, seu ille me vivere iubeat, seu mori. Neque, quod dum possem honestius nunquam feci, longam ab eo vitam, sed bonum vite ex[itum] optabo; sperans non de meritis meis, sed de illius misericordia, quod vite huius finis erit vite melioris initium. [59] Hec tecum, amice, sicut presens soleo, absens lusi, et quamvis fugam temporis attendens pridem animo firmassem, deinceps in epistolis brevior fieri, tu propositi memoriam abstulisti, [tam] suave michi fuit tecum usque ad finem lucis et papiri marginem, pre loci angustia compressis literis, longum [de] nichilo textuisse sermonem. Tu vive et vale feliciter, nostri memor. Inter Colles Euganeos, III Idus iulii. Franciscus tuus.

[60] Erat urbanum, fateor, hanc rescribere, sed fragilitas et occupatio et muscarum tedia excusent. Tu additiones et lituras quasi signa familiaritatis accipies et quicquid aut in scriptura vitii erit, aut in stilo, boni consules et in meliorem omnia partem trahes, non sum dubius.

# Liber 13

8

## Ad Matheum Longum

*Ad Matheum Longum, archidiaconum Leodiensis ecclesie, de utriusque statu.*

[1] Erat forte dies festus ac solemnis quem michi solemniores fecit ac letiorem tuarum adventus subitus literarum; dies, inquam, qui ad vestigia Salvatoris adoranda reges olim ab oriente perduxit; nunc ad me predulciter salutandum mitissimas talis amici literas ab extremo attulit occidente; videntem omnia Cristum testor: vix tale aliquid letius poteram audire. Multos enim iam per annos de te certi nichil audieram cum facies tua semper his affixa precordiis inhereret, quam inde divellere nec locis nec temporibus nec fortune unquam licuit aut licebit; dubitabam tamen et humani more animi metuebam, precipue postquam Mediolano abii et amicus meus quidam fidissimus pergamentis rebus abiit humanis, qui, voti mei conscientis, sepe me de tua vita ac salute certiore nunc verbo nunc literis faciebat. Quamvis autem nos mortales natura protulerit ut neque immortalitatem sperare neque mortem metuere debeamus, mecum tamen ipse recogitans preter te et reverendissimum Philippum, olim dum in curia que Romana dicitur versaremur Cavallensem, nunc Sabinensem episcopum cardinalem, nullum michi iam eorum quos a iuventute dilexerim superesse, non poteram, fateor, non timere, de utroque solicitus, de te autem solicitior quo incertior. Et damna mea metiens atque dinumerans crebroque suspirans, in silentio dicebam: «O quid agit nunc ille, carus pater et amicus tuus? O si vivit et aura vescitur etheria? O si bene

secum agitur? O utinam vivat et valeat nec me solum in hac miseriарum valle destitutus!» Nunc, gratias Deo, de quo timui iam gaudeo et exulto, non vivum modo illum sed incolumem audiens. Fecisti optime ut soles omnia, qui brevi epystola longa me solicitudine liberasti.

[2] De meo vicissim statu, si status dicitur assidue labi, de quo in parte tuarum literarum ut scriberem postulasti, brevibus accipe. Sum animo, per Cristi gratiam, quieto satis ac tranquillo et iuvenilibus, nisi fallor, pridem passionibus expedito. Contemptor magnus omnium que miratur humanum genus familiariter tecum, sed in Domino gloriior quia licitum michi spero. Corpore diu sanus fueram, hoc biennio infirmus et sepe pro mortuo habitus; vivo tamen adhuc, quantuluscunque sim, tuus ut soleo. In rebus aliis pene omnibus sic est michi ut erat quando ultimum me vidisti, ex quo, si recte numero, hic quartus et vigesimus annus est, tempus vite prope, ne dicam absentie, longum satis. Potui equidem altius ascendere, sed nolui; omnis michi altitudo suspecta est. Mansi ergo in humilitate mea, id utilius credens atque iocundius, et ad summam nulla re ferme auctior sum quam fui nisi tot annis et aliquot libellis — mallem scientia ac virtute — nulla re imminutior nisi valetudine prospera et amicis quos michi quam plurimos, paucis annis, dura mors rapuit patientiamque meam vehementer exercuit. Aliquandiu Venetiis moras traxi; nunc sum Patavi in ecclesia residens. Fecit Deus, inscio me, ut tempestive admodum inde discederem, instantे inter has urbes hoc gravissimo quod nunc sevit bello: futurus ibi suspectus, hic sum carus. Magnas tamen partes temporis rure ago, nunc etiam ut semper solitudinis appetens et quietis; lego scribo cogito; hec vita, hec delectatio mea est que michi semper ab adolescentia mea fuit: mirum tam iugi studio tam pauca tanto in tempore didicisse! De reliquo autem nulli hominum in video, nullum odi, et quod ante longissimum tempus scripsi, nullum despicio nisi

me, nunc multos despicio et primum me. Fuit igitur prima etas michi, tumore atque errore iuvenili, contemprix omnium preter se; media autem, gravitate virili, sui solius contemprix; hec ultima, libertate senili, et sui ipsius ante alios et pene omnium, nisi quos virtus clara contemptui eximit, rarum genus. Ad hec, nullum valde metuo nisi valde amem, nichil valde cupio nisi bonum finem. Turba famulorum velut hostium fugio, fugiturus omnes si liceret: id ne liceat etas atque fragilitas efficiunt. Visitatores nullo usquam secessu, nullis latebris fugere valeo, honorificum vite mee tedium ac laborem. Extruxi michi in collibus Euganeis parvam quidems ed decoram atque honestam domum; ibi reliquias vite qua datur in pace exigo et defuntos et absentes amicos tenaci memoria animique ulnis artius semper amplectens, singulariter tui memor, tui cupidus, si qua sors sineret. Neve quid te lateat mearum rerum, sepenumero per hos annos a Romano Pontifice atque Imperatore, quin etiam a Francorum rege aliisque principibus, multa cum instantia ac spe magna nescio quidem cur quodve ob meritum, sed, quod magis reor, fato quodam evocatus, eque omnibus hactenus surdus sum: contra multorum enim sententiam sic expediens, arbitror, libertati. Sed nimis te detineo; parce, oro, et vale.

Patavi, ad vesperam Epiphanie.

9

## Ad Pandulfum Malatestam

*Ad Pandulfum Malatestam, familiariter de statu suo.*

[1] Epystolam tuam, vir clarissime, plenam tue illius antique mundo quoque iam notissime caritatis, ante non multos dies acceperam; dumque et aliis ex causis et ut tibi oportunius responderem, dimisso

rure ubi libentius multo quam in urbibus habito Patavium rediissem, tibique quod placitum certus eram de mea salute anxio scribere meditarer, ex longa me scilicet egritudine prope iam sanitati redditum — credo ut mestam potius veritatem quam letum mendacium audires — celitus effectum ut me subito ad. VIII Idus Maias familiaris mea violentissima febris arriperet. Convenerunt medici, et quos domini iussus urgebat et quos nostra trahebat amicitia, et multis altercationibus hinc inde habitis — nosti morem — diffinierunt me nocte media moritum. Et erat iam noctis illius prima vigilia; vides quantulum michi vite spatum restabat, si vera essent que hi nostri fabulantur Ypocrates. Sed quotidie magis atque magis me in illa quam de his semper habuit opinione confirmant. Dixerunt unicum longiuscule remedium vite esse si fidiculis nescioquibus astricto somnus abrumperetur: sic me ad auroram forsitan perventurum; exigui spatii tediosa merces, cum tamen somnum michi in eo statu eripere esset hauddubie mortem dare. Itaque nichil obtemperatum. Nam sic amicos oravi, sic famulis mandavi nequid, quod a medicis dictum sit, meo unquam fiat in corpore; siquid penitus fieri debet contrarium fiat. Proinde noctem illam dulci ac profundo placideque morti, ut ait Maro, simillimo sopore transegi. Quid te verbis morer? Nocte media peritum mane redeentes, forte ut exequiis interessent, scribentem invenerunt et attoniti nil aliud quod dicerent habuere nisi hominem me esse mirabilem. Totiens in me decepti et elusi nec iterum et iterum impudenter asserere desinunt quod ignorant, nec clipeum alium inveniunt quo ignorantiam suam tegant. Et ut sim fortasse mirabilis, quanto ipsi mirabiliores! nam qui illis credunt non iam mirabiles sed stupendi sunt. Hic ergo sum, vir inclite, sic mea me sors versat et reversat et, quanquam sanus videar nonnunquam, semper tamen ut arbitror eger sum. Alioquin unde tot tam rapide febres erumperent vicissimque repullularent? Sed ecce ut aut nocte illa media obiissem,

aut instanti obeam, quid ad me? Ad hoc ibam. Et quid nocet mox casurum cadere, seu quid prodest surgere illico ruiturum?

[2] Quando tamen generosum animum tuum hec tam humilis cura contingit, ut scire cupias qualiter michi sit, scito me de statu mei corporis prorsus incertum, neque me solum sed omnes quicunque hic vivimus mortales, eo me tamen incertiorem, quo visibilius quotidie ipsa cum morte confligo; que sive me confestim oppresserit ut iam quater intra unius anni spatium minata est, sive diuticule distulerit, diu nempe non differet. Cristo deo meo eque de omnibus gratias ago: Ipse enim novit quid michi expedit, et Ipse faciet. Utrum sane sit melius mori an vivere Deus scit, «hominem quidem scire arbitror neminem», ut moriens apud Ciceronem ait Socrates. In me tandem sic diffinio. Nec tibi, virum optime, nec eorum quibus carus sum cuiquam amplius cogitandum aliquid vel optandum nisi bonum finem. Et certe iam tempus est: non expedit ad fastidium vivere, ad satietatem sufficit. Tu vive feliciter mei memor, et vale.

Inter Colles Euganeos, VI Idus lunias.

## 10

### Ad Pandulfum Malatestam

[1] Magnifice ac superamabilis domine mi, Lictera vestra qua nil suavius cogitari potest, ingentem michi leticiam in adversis attulit ac solamen, quamvis novum vere nichil actulerit. Scio enim ab olim cor erga me vestrum et affectionem illam sincerissimam, non qualem ad subiectos domini sed qualem filii ad parentes habent, vel quod est vehementius e converso. At quod tritum et vetustum in animo meo erat, illa nunc mitis epistola renovavit. Itaque tantam inde dulcedinem sumpsi ut presentium immemor dolorum totus in vestri

vultus multum michi diuque exoptata presentia respirarem et quiescerem. Tantusque me subito scribendi ardor cepit quod, si sequerer impetum, ed digitos meos iam per sese fatiscentes et occupatus in maioribus vestras aures fatigarem. Sed tempus non habeo, et preterea infelix hec tibia mea more solito me exercet ut magno scribam cum labore. Unum hoc igitur dicam.

[2] Oblationes vestras libenter amplector et gratias ago, non quas teneor sed quas possum. Et Christum testor, verum deum, me de nullo homine magis sperare quam de vobis, nullius magis optare conspectum, et si qua sors, que regum quoque dyademata versat ac proterit, me ad indigentiam cohartaret, nullius domum aut arculam aut villam fidentius adirem quam vestram, nempe quam experientia me docuit meam esse. In me quidem retributionis nulla spes, sed retribuet Christus ipse qui piis affectibus delectatur.

[3] Venirem, fateor, libenter, non propter aliquem metum mortis, sed propter intensus vos videndi desiderium, nisi quia status mei corporis non sinit. Gratissima tamen animo meo est hec vere nobilis caritas vestra michi utique prorsus indebita. Vobis autem magnificentum nichil indebitum sed suum ac proprium naturaque insitum videri debet. Illam de me curam, mi domine, fidenter deponite, quoniam non Venetiis nec Padue sum, sed inter colles Euganeos in loco delectabili admodum ac salubri, ad quem et locorum specie captus et mei amore tractus magnificus Padue dominus sepe venit perquam familiariter et morulas trahit. Essem tamen aliquanto libentius quo me vocat vestra benignitas, sed venire ‘hoc opus, hic labor’ est. Hec actenus.

[4] Transitum felicis memorie venerabilis ac dilecte licet facie incognite domine mee et consortis vestre iam pridem mestus audieram, non tam propter eam que relictis hiis miseriis haud dubie nunc felici vita fruitur quam propter animi vestri statum, quem turbidum suspiriis atque undantem fletibus cogitabam. Quis enim

tanto non moveretur dampno? Et sepe michi animus fuit consolatorium aliquid scribere. Occupatio iugis ac morbus impediit. Coram Christo loquor: nullius domine tantum optabam faciem videre; de nullius obitu iam a multis annis tantum dolui. Sed vestra virtus omnem, oro, vincat asperitatem. Id vos decet, id ego de vobis et cupio et spero. Christus dominus noster vos mei memores custodiat ac soletur consolator optimus!

[5] Recommendo me magnifico patruo vestro. Alter dominus meus, frater vester, per ea que michi significavit, credo Alpes transierit. Valete.

[6] Petrarca recommandationem. Arquade die prima septembris.

## 10

### (gamma)

*Excusat se quod valetudinis causa Pisaurum quo ab eo advocabatur, non adeat.*

*Nuntiat se in collibus Euganeis rusticari: et de morte uxoris eius aliquid innuit.*

[1] Littera vestra, qua nil suavius cogitari potest, ingentem michi letitiam in adversis attulit ac solamen, quamvis novum vere nichil attulerit. Scio enim ab olim cor erga me vestrum, et affectionem illam sincerissimam, non qualem ad subiectos domini, sed qualem filii ad parentes habent, vel, quod est vehementius, e converso. Venirem, fateor, libenter non propter aliquem metum mortis, sed propter intensem vos videndi desiderium, nisi quia status mei corporis non sinit. Gratissima tamen animo meo est hec vere nobilis caritas vestra michi utique prorsus indebita: vobis autem magnificum nichil indebitum, sed suum ac proprium naturaque insitum videri debet. Illam de me curam, mi domine, fidenter deponite; quoniam non Venetiis nec Padue sum, sed inter colles Euganeos in loco admodum delectabili ac salubri: ad quem et

locorum specie captus, et mei amore tractus magnificus Padue dominus sepe venit per quam familiariter, et morulas trahit. Essem tamen aliquanto libentius quo me vocat vestra benignitas: sed venire hoc opus hic labor est. Hec hactenus. Transitum felicis memorie venerabilis ac dilecte, licet facie incognite domine mee et consortis vestre, iampridem mestus audieram... Recommend o me magnifico patruo vestro: alter dominus meus frater vester, per ea que michi significavit credo Alpes transierit. Valete.

Arquade, die prima Septembbris.

## 11

### (gamma)

*Dolet mortem uxoris et fratri eius. Excusat se quod vocatus illum non adeat, et mittit carmina que vulgari sermone dictaverat.*

[1] Colende ante alios et amande domine mi. Plenam solite humanitatis epistolam tuam non sine suspirio ne dicam lacrimis, legi. Renovavit enim michi eam, que senescere in precordiis meis nequit, memoriam tui, et ignote quidem facie, sed dilecte michi venerabilis et preclare atque in eternum memorande coniugis, simulque magnanimi et egregii fratris tui domini mei, et amici optimi non verbalis sed realis, qualium est hodie summa penuria. Et, Christum testor veri Deum, vix alii duo mori poterant, qui cor meum pari cuspide vulnerarent. Sed non est, preter patientiam, remedii genus ullum: id tibi suadere non expedit prudentissimo atque expertissimo casuum humanorum. Accedit et illa consolatio, quod et benedicta uxor et frater amantissimus rectum iter ad superos tenuisse credendi sunt: ea fuit amborum vita, ea insignis matrone pietas, fides et castitas, ea viri illustris excellentia. Cessat ergo altera

dolendi causa: profecto enim illis, ut spero, nichil mali accidit: si quid mali fuit, nobis contigit, quod ipsum magnitudine animi superandum est. Et hec quidem hactenus. De reliquo autem gratiam tibi habeo, et quas possum gratias ago, quod in omnium discrimine, inque omnium sive elementorum sive hominum bello, memoriam mei habes, et michi quo nullum gratius animo meo est, refugium tuum offers. Ceterum de adventu meo breviter sic habe. Libentissime venirem ut et tuo pio desiderio satisfacerem, et meo. Sed multa obstant: corpus ultra modum fragile, tempus forte nimis asperum, iter durum, intractabile, et super omnia pudor hoc in statu rerum abeundi. At si res iste mitescerent, fieri posset, quod circa veris adventum te inviserem, quod in rebus nunc humanis unice cupio, neque est opus ut locorum amenitate solliciter. Scio loca esse qualia in litteris tuis lego, et ipse aliqua puer vidi, et preterea locus omnis, ubi tu es, nunquam nisi amenissimus ac iucundissimus animo meo videri posset. Iuvenis tuus et studio michi iunctus et nomine, iampridem et propter tui reverentiam, et propter sui industriam michi carus acceptusque esse cepit. Nolo tamen eum huc mittas ad nil aliud quam tedia et angores; nam nec ego sum cuius ex contubernio boni aliquid sit sperandum, et si quid unquam fuissest, nunc certe et temporum, et locorum, et innumerabilium occupationum circumventus atque oppressus mole, prorsus in virum alterum evasi. Non sum qui fueram: michi ipse gravis in dies ac molestus fio: de omnibus Deo gratias agens, annosque meos mecum ipse remetiens, et divinam magis ac magis in me misericordiam recognoscens. Nolo igitur veniat amicus meus unde libenter abscederem, ubi nec michi, nec sibi usui sim futurus, ubi caros meos alios esse doleo. Accessit enim ad molestias quod familiola mea, que Papie mecum erat, hic est; unde angustissime habitamus, penitetque nunc me eos huc vocasse. Sed minime ista presagiebam, quamvis, ut audio, ibi quoque turbide res sint, de quo valde et supra quam credi

posset mestus sum. Nugellas meas vulgares, que utinam tuis manibus, tuis oculis, tuoque iudicio digne essent, per hunc nuntium tuum ad te familiariter venientes videbis. Non patienter modo, sed lete, non dubito, atque aliqua vel extrema bibliothece tue parte dignabere. In quibus multa sunt excusationis egentia; sed benigni censoris iudicium subitura, veniam non desperant. In primis opusculi varietatem instabilis furor amantium de quo statim in principio agitur; ruditatem stili etas excuset, nam que leges magna ex parte adolescens scripsi. Si excusatio ista non sufficit, excuset me tue petitionis auctoritas cui negare nil valeo. Non potes queri: habes quod petiisti:

Tu modo te iussisse, pater romane, memento,  
Inque meis culpis tu tibi da veniam,

ut ait Ausonius Magnus ad Theodosium Augustum. Plebeios apices, scriptorum raritas absolvat, qui huic fere studio nulli sunt: tarditatem sribentis inertia et bellorum fragor. Diu enim ante missurus hoc fueram, nisi Mars circumtonans vetuisset. Et nunc tandem per Pancaldum simplicissimum hominum mittebam, nisi tuus hic nuntius advenisset. Incorrectionem operis si qua erit, mea excuset occupatio, qua obsessus feci hec per alios revideri, quamquam ego ipse vix demum semel raptim oculo trepidante perlegerim: denique habitus paupertatem mea excuset absentia; profecto enim si fuisse presens, fibulas saltem argenteas habuisset. Multa nunc, domine, de tuorum casibus michi pro virili parte flebilius latius dicenda, multa etiam de tua gravi egritudine, que me vehementer exterruit et afflixit, stilo sese offerunt; sed tam multa et tam magna sunt ut ea fessus calamus reformidet: ideoque pretero, eoque maxime quod, si ingenium tuum novi quidquid de his essem dicturus, me tacente, cognoscas. Ad postremum de negociolo illo familiari, facies quod tibi occuret: quidquid tibi, placuerit et michi. Vale feliciter fortiterque, Vir clarissime, mei memor.

*Padua, IIII Ianuarii algentibus digitis.* Franciscus Petrarca recommendationem. [2] Sunt apud me huius generis vulgarium adhuc multa, et vetustissimis schedulis, et sic senio exesis ut vix legi queant. E quibus, si quando unus aut alter dies otiosus affulserit, nunc unum nunc aliud elicere soleo, pro quodam quasi diverticulo laborum; sed perraro, ideoque mandavi quod utriusque in fine bona spatia linquerentur: et si quidquam occurret, mittam tibi reclusum nichilominus in papyro... Magnifico et predilecto domino meo domino Pandulpho de Malatestis.

# Liber 14

## 1

### Ad Franciscum de Carraria

*Ad Magnificum Franciscum de Carraria Padue dominum, qualis esse debeat qui rem publicam regit.*

[1] Dudum tibi, vir clarissime, scribebam. Et tuo more tu interdum me leniter admones, et indignum esse video inter tot mediocrum et magnorum nomina preteriri tuum nomen, et paternis et tuis beneficiis ita de me meritum, ut nunquam michi e memoria delabi sine ingenti possit ingratitudine, nec unquam certe hactenus lapsus sit. Scribere igitur est animus, sed unde incipiam quero nec invenio. Nam neque unus aditus ad intentum, et pluralitas herere animum cogit ut ambiguum in bivio viatorem. Hinc crebra nimis in me liberalitas tua ad agendas gratias stilum vocat, et est sane mos percelebris, susceptis amicorum et maxime principum munibus, grates agere, quem aliquandiu ipse tecum tenui, donec perpetuis et in dies auctis beneficiis atque honoribus tuis pressus, et pro rebus verba remittere ingenuo pudore prohibitus, munerum magnitudinem quam sermone non assequor, mente complecti memorique silentio metiri potius quam verbis inanibus consilium cepi.

[2] Hinc exclusus vertor ad amplissimam pronamque materiam tuarum laudum. Nam et hic quoque nonnullorum mos est principes laudare, quod et ipse nonnunquam feci, non tam laudati gratie quam veritati obsequens et virtutem laudum stimulis excitans, quibus nichil generosum animum urgere potentius. Qua in re hinc laudantis

adulatio, hinc vel maxime incostantia me offendit. Sunt enim et qui indignos laudent et qui laudatos mira mox animi levitate vituperent, quo nichil in honestius, nichil est turpius. In quo quidem maxime Ciceronem noto usque adeo ut quem inter omnes scriptores gentium miror ac diligo, in hoc uno pene oderim: ita ille aliquos, sed in primis Iulium Cesarem, laudum fasce dicam an preconio onerat an honorat, eundemque post probris ac maledictis insequitur. Lege illius epistolas ad Quintum fratrem: omnia ibi de Cesare honorifice dicuntur atque amice. Eiusdem ad Athicum epistolas percurre: prima ibi ambigua, ultima queque odiosa videbis et infamia. Lege ipsius orationes quas vel ad ipsum Cesarem vel eo presente ad senatum habuit: tante ibi cesaree laudes sunt, ut nec mortali debite nec a mortali profecte ingenio videantur. Sed progredere, lege libros *Officiorum* orationesque *Philippicas*: invenies nec affectibus odia nec laudibus inferiora convitia, utque sit indignior hec tanta varietas, viventi laus et defuncto vituperatio omnis attribuitur. Pati possem equanimius, si vivum vituperasset extinctumque laudasset. Solet enim mors invidiam atque odium vel extinguere vel aleviare. Habet tamen, sortem suam quo soletur, Cesar unum ex omnibus magnum comitem nepotem filiumque suum adoptivum Cesarem Augustum, qui, licet virtute minor bellica, certe imperio maior fuit, cui immodice laudato Cicero idem in hoc animosior vivo etiam et ad ipsum scribens immodice maledixit. Invitus de dilecto michi viro maximo hec loquor, sed dilectior et maior est veritas. Evidem sic esse doleo, sed sic est. Nec sum dubius ad hec illum, si adsit, suo illo omnipotenti eloquio facile responsurum, sed verbis veritas non mutatur.

[3] Id michi nequaquam eventurum reor ut morbo animi laudata vituperem. Verum, ut unde digressus eram, redeam, hac ad tuum colloquium ingressuro, illud occurrit in limine: etsi vera virtus dignam gloriam non recuset, eamque vel invitam ut corpus umbra

sequi soleat, hic vir tamen, quod inditiis multis percipere potuisti, presens argui maluerit quam laudari, multoque facilius fuerit iustis hunc reprehensionibus quam veris etiam laudibus promereri. Quid igitur faciam? quo me vertam? Quem laudare sum veritus, reprehendere non vererer, si tam lata esset reprehendendi materia quam laudandi. Est, fateor, conditio ista mortalium, ut nullus omnino sit irreprehensibilis. Ille perfectus atque optimus dici potest, qui parvis ac paucis obnoxius est. Age ergo gratias deo, qui te talem fecit, ut si equis ingeniis reprehensor tuus laudatorque convenerint, multo disertior sit laudator, sicut e duobus agricolis et arte equis et robore ille apparebit insignior cui arvum sors dedit uberius, e duobus sicut nautis omni ex parte paribus felicior erit illius navigatio cui prosperiores aure fuerint et mare tranquillus.

[4] Ut te autem reprehendere et hanc colloquii literalis materiam eligere descrevissem, nil in te reprehensione dignum noveram nisi unum illud de quo aliquando multa tecum nullo teste disserui. Qua in re, si humiles ac fideles monitus meos exaudire dignabere, rem haud dubie et corpori et anime et fame tue presenti et venture glorie saluberrimam feceris, unde, ut ita ego te nunc alloquar, sicut in campo thesalico Cesarem Crastinus alloquitur, «aut michi vivo aut mortuo gratias agas». Hic non agam pluribus. Intelligenti enim et scienti omnia quis opus est verbis? Scis quid velim, et nil nisi bonum tuum velle debeo aut possum, teque hoc ipsum scire non sum dubius. Sed et hec transeo sciens nec michi honestas nec tibi placitas esse blanditias.

[5] Que cum ita sint, labor, ut video, michi nunc historie longioris eripitur, quod et tibi, ut dixi minime placitura et publice omnibus nota est, ut sub ipsum scilicet adolescentie tue florem glorioso et magnanimo patre spoliatus, sub quo preclara omnia atque magnifica discere et doctrina poteras et exemplo, eo ipso tempore, quo rectoris adhuc vel maxime indigus videbaris, ad regimen omnium

conscendisti, commissamque tibi rem publicam, immatuos superante annos industria, tanta maturitate tamque senili consilio rexisti, ut in primis nullus tumultus in patria tanta mutatione rerum, nulli motus exarserint, ex multa dehinc inopia, quam eris insuper alieni pondus urgebat, brevi ad magnas divitias pervenires; ut deinde paulatim et etate et experientia rerum crescens, non civibus tantum tuis egregium te rectorem, sed exemplar aliarum urbium rectoribus exhiberes, ita ut sepe ego finitos populos tibi subesse votis optantes audierim et tibi subditis invidentes; ut tu interim, nec tumide insolentie nec inertis deditus voluptati, in hoc unum vigilantissimo studio incubueris, ut te omnes agnoscerent sine desidia tranquillum, sine superbia gloriosum, utque in te modestia cum magnanimitate contenderet. Inter multa igitur decora, cum te pene ex equo etiam minimis adeundum incredibili humanitate prestares, filias tamen tuas conquisitis ab extremo terre preclarissimis nuptiis collocasti; perque idem tempus, quamvis ante alios quietis publice studiosus, quod nunquam tamen aut populo, dum civitas communis consilio regebatur, aut cuiquam tuorum, dum tam diu frena rei publice tenuerunt, in animum venit, solus tu patriis in finibus oportunis locis arces multas ac validas erexisti; atque ad summam sic te in omnibus habuisti, ut et cives te duce liberi fuerint ac securi, nec ullius sanguis innoxius funderetur, vicinosque omnes vel metu vel amore tueque virtutis admiratione pacaveris, totque iam per annos florentem patriam serena tranquillitate et constanti pace tenueris, donec tandem adversarius humani generis, hostis pacis, unde tale nil timebas, bellum tibi repente gravissimum excitavit, quod — tantus amor pacis — intrepidus excepisti diuque ingenti animo gessisti, speratis licet destitutus auxiliis; cumque tibi id utilius visum esset, pacem pristinam alto consilio reformasti, uno ex actu laudem geminam et fortitudinis et prudentie consecutus. Hec, inquam, et similia multa pretero, quibus te omnibus tue reipublice

aliarumque multarum rectoribus magno spatio rebus ipsis nec tam tuo quidem quam omnium iudicio pretulisti.

[6] Quod si te igitur glriosius laudare blandum, cum res ipsa te laudet, et reprehendere supervacuum reor: et, ubi loqui cepi, inexpleto sermone silentium indecorum: quid in animum venit, dicam: ut describam scilicet quod tibi sine ulla descriptione notissimum credo; sed scienti etiam interdum confert admonitio, dum mens, ipsa bene sibi conscientia, in eorum, que probe novit et frequenter exercuit, memoriam aliquo memorante reducitur, et quo passibus suis ibat, aliena lingue stimulis urgetur. Describam ergo quod sciunt pene omnes, sed dissimulant: qualis esse debeat cui sue patrie cura commissa est. Quo impleri libros posse non sum nescius, ego epistolam implesse contentus ero: plus enim quibusdam una vox quam aliis verba longissima profuerunt, maiorque est vis in animo audientis quam in eloquio perorantis, quisquis ille sit. Nempe, ut repetam quod dicere soleo, favilla interior sit oportet, quam flando excites et inflammam eregas. Alioquin extinctum in cinerem nequicquam flaveris. Spero ego, imo quidem scio, in te non modo favillas consopitas sed lucidas et ardentes,flammamque insuper virtutis eximiam et capacem omnis boni animum, cui omnium, que audierit, nichil excidere soleat. Sensi quantum epistola una, clara illa quidem et que claro texta erat ingenio, Marci scilicet Bruti ad Marcum Tullium Ciceronem, tibi animum accenderit ad virtutem, ut diu vix aliud loqui posses; et sepe tacitus tecum dixi: hic, nisi virtutis esset amicus, nunquam tam vehementer hoc tam brevi virtuoso licet elogio moveretur. Sepe etiam ipse michi gratiam habui qui tibi illam epistolam procurassem et oblivione senioque obrutam renovassem.

[7] Ante tamen quam aggrediar quod institui, verbum unum Ciceronis ipsius tibi, ut arbitror, non ignotum inseram, quo avidius audias qualis esse debeat rei publice gubernator, cum prius audieris

quam et ipse deo carus quamque deo cara sit ipsa res publica. Ille ergo *Reipublice* libro sexto: «Quo sis, Africane, inquit, alacrior ad tutandam rem publicam, sic habeto: omnibus qui patriam conservaverint adiuverint auxerint, certum esse in celo diffinitum locum, ubi beati evo sempiterno fruantur. Nichil est enim illi principi deo qui omnem mundum regit, quod quidem in terris fiat acceptius, quam concilia cetusque hominum iure sociati, que civitates appellantur. Harum rectores det conservatores hinc profecti hoc revertuntur». Erat autem fictum illud in celi arce colloquium. Quis igitur nisi valde duri cordis et virtutis osor felicitatisque contemptor non hos appetat labores et hec premia? Quamvis enim paganus sit qui loquitur, non abhorrens tamen est a cristiana veritate ac religione sententia, etsi in creatione hominum sive animarum diversus sit eorum loquendi modus et noster.

[8] Nunc peragam quod promisi: et qualis esse debeat patrie rector, expediam, ut hoc velut in speculo tete intuens, ubi te tales videris, qualem dico, quod persepe facies, gaudeas, et virtutum bonorumque omnium largitori devotior fias atque in dies obsequentior, et ingenti nisu per difficultatum obices assurgas usque ad illum gradum, quo ire altius iam non possis; si quando autem deesse tibi aliquid senseris, faciem ipse tuam, ut si dicam, perfrices et manu operum fame frontem tergas teque ipso formosior vel certe nitidior fieri cures.

[9] Sit ergo hic rector in primis amabilis nec bonis formidabilis; malis enim formidabilis necessario sit oportet, si iustitie est amicus. «Non enim sine causa gladium portat, dei enim minister est», ut ait Apostolus. Nichil est enim stultius, nichil a principatus stabilitate remotius quam velle ab omnibus formidari, quamvis quidam et veterum principum et novorum nil magis optaverint quam timeri, et nulla re alia posse imperium teneri quam metu et crudelitate crediderint, quod nominatim de Maximino imperatore barbarico lectum est. Quorum opinionibus nichil est a veritate remotius. Amari

expedit non timeri, nisi eo modo forsitan quo pius filius bonum patrem timet: omnis metus alias eorum proposito est adversus. Regnare enim diu volunt securique vita agere: utriusque contrarium est metui, utriusque consentaneum est diligi. Et diuturnitatem et securitatem aufert metus, confert utramque benivolentia, quoque plus fidei dicto sit, audiendus Cicero, imo quidem Ciceronis ore loquens veritas audienda est. «Omnium», inquit, «rerum nec aptius est quicquam ad opes tuendas ac tenendas quam diligi, nec alienius quam timeri», nec multo post: «Malus enim», inquit, «custos diuturnitatis metus contraque benivolentia fidelis vel ad perpetuitatem», utque esse sibi rem cordi scias, idem alibi: «Carum esse civem, bene de re publica mereri, laudari, coli, diligi gloriosum est; metui vero et odio esse invidiosum detestabile imbecille caducum».

[10] Iam loqui de securitate non attinet, quam metu tolli atque extingui nemo tam rudis ignarusque rerum est qui nesciat. Hic occurritur a quibusdam metum hunc in subditis esse non in regnante affirmantibus, quo non ipsius sed illorum securitas quatiatur. Quibus ego pro responso notissimum illud obiciam Laberii, equitis romani, docti viri ac prudentis, in Iulium Cesarem

Necesse est multos timeat quem multi timent.

Quod dictum quo plus habeat virium, dicto alio simili et ipsius, quem sepe nomino, Ciceronis auctoritate firmandum est. «Etenim», inquit, «qui se metui volent a quibus metuantur eosdem metuant ipsi necesse est». Huius sententie rationem, ne nos imitari pudeat, ab Ennio mutuatur. «Preclare enim», inquit, «Ennius: “Quem metuunt oderunt, quem quisque odit, perisse expedit”». Addo ego: quod quisque expetit, fieri studet; ad quod multi autem validis urgentur affectibus, vix differri potest.

[11] Que quamvis ita sint, fuerunt tamen et sunt usque hodie qui dicant: «Oderint dum metuant». Fuit hoc atrei verbum crudelissimi tyranni ab Euripide relatum. Id quotidiano usu Gaius Caligula nichilo Atreo mitior suum fecit, nec inventori faustum nec sequacibus. Quo etiam uti solitum Iulium Cesarem opinari aliqui et dicere voluerunt. Mirum certe si verum, nam ipse quidem, preter glorie et imperii appetitum, in quo multus, ne dicam nimius fuit, omnia fecit quibus esset amabilis potius quam timendus, quadam hinc mansuetudine atque clementia, hinc munificentia et liberalitate mirabili, cum e toto imperio omnibusque victoriis nichil sibi retinuerit, quod magni testantur autores, preter dispensandi potestatem: ad veniam vero tam facilis fuerit, ut de eo Cicero idem scribat quod nichil soleret nisi iniurias oblivisci. Nobile quidem vindicte genus est parcere, nobilissimum oblivisci, ut id sibi pro summo nature bono suus ille nunc amicus nunc hostis attribuat. Quid multa? usque adeo his virtutibus, ut sileam reliquas, abundans fuit ut nemo magis, etsi ex his premia non sat digna perceperit. Siquidem ab his ipsis quos opibus atque honoribus summis expleverat, quibus victor omne ius victorie omnes inimicitias iniuriasque remiserat, imperfectus est; nec eum liberalitas iuvit nec clementia, ut non immerito sibi pacuvianum illud in funere caneretur: «Men servasse, ut essent qui me proderent».

[12] Quibus ita se habentibus, queri potest, quenam sibi odium causa conflaverit. Nempe odio coniuratio illa non caruit. Ego nullam invenio nisi insolentiam quandam elationemque animi, quod supra patrium morem sese attolleret, quod nimiis gauderet honoribus et dignitates indebitas usurparet. Nondum assueverat Roma cesareos fastus pati, quos postea longe disparium tales tulit, ut facta collatione mira illa videri possit humilitas. Si igitur illum talem virum nulla potentia, nulle opes adversus multorum odia protexerunt, restat inquirere quibus amor artibus sit querendus; quoniam ut odium

ruine, sic amor contrarii causa est: illud precipitat, hic sustentat. Quid hic dicam, nisi unam eandemque rationem esse amoris publici que privati est? «Ego», inquit Anneus, inquit Seneca, «tibi monstrabo amatorium sine medicamento, sine herba, sine ullius benefice carmine. Si vis amari ama». Sic est hercle. Et quamvis hic multa et varia dici possint, tamen hec omnium summa est. Quid magicis opus est artibus? quid pretio aliquo aut labore? Gratuita res est amor, solo queritur amore. Quis tam ferrei pectoris inveniri potest, quem honeste amanti vicem reddere pigeat? In honestus enim amor non est amor, sed honesto nomine velatum odium, non amore sed odio compensandum. Nam turpiter amantem redamare quid est aliud quam scelere scelus confovare et alieni flagitii fieri velle participem? Igitur hoc omissio ad honestum illum amorem alterum redeamus.

[13] Ex quo utique magnum tibi et honestum gaudium nasci debet, qui te tuis ita carum sentias, quasi non civium dominus sed patrie pater sis. Quod cognomen antiquorum principum fere omnium fuit; sed quorundam iuste admodum, quorundam iniuste adeo ut nichil iniustius. Pater patrie dictus est Augustus Cesar, pater patrie dictus est Nero. Ille verus pater, iste vero hostis et patrie et pietatis. Tibi verum hoc cognomen obtigerit. Nullus est civium, eorum dico quibus pax et requies patrie grata sunt, qui te aliter aspiciat, aliter cogitet quam parentem. Ut id factis meritum evoque perpetuum sit, eniti debes: et facies spero, facies admonitus oratusque quod iampridem per te ipsum facis. Scito autem hoc tibi prestare solam posse iustitiam et civium caritatem. Vis esse verus civium pater? Quod filio tuo vis, et civibus tuis velis. Non iubeo ut tantundem unumquemque civium ames quantum filium, sed ut filium. Nam Deus ipse summus legifer non dixit: «Diliges proximum tuum» quantum te ipsum, sed «sicut te ipsum», hoc est pure, sine fictione, sine utilitatis aut premii respectu, nuda ac gratuita caritate. Audeo tamen dicere sine preiudicio verioris sententie: etsi non quemque

civium, omnes tamen simul cives universamque rem publicam non quantum filium modo vel parentes, sed quantum temet ipsum amare debes. In singulis enim caris capitibus singuli sunt affectus, in re publica autem omnes. Amandi tibi sunt igitur cives tui ut filii, imo, ut sic dixerim, tanquam corporis tui membra sive anime tue partes: unum enim corpus est res publica cuius tu caput es. Amor autem hic et lenibus verbis et multo maxime piis panditur actibus atque in primis, ut dicebam, iustitia et pietate. Quis non amet enim quem pius, quem iustum, quem innoxium, quem si amantem opinetur? Quod si amori beneficia accesserint, qualia sunt bonorum principum in subiectos, tunc exardescit incredibilis quedam benvolentie magnitudo, quo nexu ad perpetuum dominatum nullus pulcrior, nullus firmior texi potest. Secedant arma satellites stipendiarii tube buccine, in hostes ista vertantur, tibi cum civibus non nisi benvolentia opus est. «Caritate» enim, inquit Cicero, «et benvolentia civium septum oportet esse non armis». Eos autem cives intelligo qui civitatis amant statum, non eos qui quotidianas mutationes rerum querunt; illi enim non cives sed rebelles atque hostes publici extimandi sunt. Sepe Augustum ipsa in medium res adducit. Huius est notissimum illud: «Quisquis presentem statum civitatis commutari non vult, et civis et vir bonus est». Itaque qui contrarium vult procul dubio malus, nec civium nec virorum bonorum nomine dignus aut consortio. His te autem artibus nature tua instruit abunde, quibus amor et benvolentia queri possint. He sunt autem non ad gloriam modo sed ad celum scale, unde ille bonus pater optimum filium alloquens: «Cole», inquit, «iustitiam et pietatem, que, cum sit magna in parentibus et propinquis, tum in patria maxima est; et ea vita via est in celum». Quis amator celi viam, qua ad celum pergitur, non amaret?

[14] Quod male autem malos et iniustos principes ab oppressis civibus arma defenderint, innumerabilia sunt exempla, sed

potentissimos ac pessimos attigisse suffecerit. Nam quid Gaio custodes corporis Germani, quamvis accurrerent, profuerunt? A Nerone enim in extremis casibus stationem militum et custodes diffugisse compertum est. At Augusto ac Vespasiano et Tito nulle fuerunt necessarie militum cohortes. Lege Augusti obitum. Non armatos excubitores invenies sed amicos cives circumstantes, eumque inter sermones amicorum tandem in osculis multum amate coniugis non quasi [expirantem et quasi] extinctum sed quodammodo consopitum, tum defuncti corpus omnibus plusquam humanis honoribus cumulatum consecratamque memoriam. Vespasianus, dum imperatorem stantem mori oportere diceret, inter manus sublevantium expiravit. Titus eius filius senatus concursu et infinita gratiarum actione post obitum celebratus est, acerba quidem sed pacifica morte preventus, ut de illo scribitur, maiore hominum damno quam suo. Quod dictum, nisi fallor, librare habent memorieque mandare omnes, qui in aliquo imperio vitam aguunt ut mors scilicet eorum secura illis et felix, subditis vero formidabilis et damnosa sit. Quorum multi contrario laborant. Sane qua in urbe hi quos memoro multique alii inermes tranquille ac feliciter obiere et honestissima monimenta celeberrimamque memoriam suorum nominum reliquere, in eadem et Domitianus Titi frater interfectus ab eodem senatu contumeliosissimis, ut scriptum video, atque acerbissimis acclamationibus laceratus, imaginesque eius detracte et solo abiecte, novissime eradendos titulos abolendamque memoriam decretum. Et Galbe caput hosti oblatum suffixumque haste a lixis et calonibus totis castris hostilibus circumlatum spectaculo ludibrioque fuit omnibus. Et Vitellius apud Gemonias minutissimis ictibus excarnificatus ac confectus uncoque inde in Tiberim tractus est. Similesque casus permulti alii passi sunt. Unde vero varietas hec mortis aliunde quam de vite varietate provenerat? Itaque non inepte principum ille doctissimus, Marcus Aurelius Antonius, qui in summo

imperio philosophi et cognomen obtinuit et doctrinam, eumeratis aliquot principum casibus qui se in ordine precessissent, sic conclusit ut diceret singulorum fere mortem vite consentaneam fuisse, seque perinde pacifice morientium ex numero fore presagiit, nec fefellit. Quod si ille vir magnus et sapiens dixit, et sic esse quilibet vir sapiens cognoscit, quis omnino dubitet quin bene atque innocue sit vivendum, cum propter alia multa vite decora, tum vel ob hoc unum maxime ut bene etiam moriamur? Digna hercle hora illa suprema est que omnium precedentium annorum impendio comparetur, quamquam rectis extimationibus sit momentum illud ad eternitatem transitus. Neque vero est mirari, quando et per limen exiguum ingredimur in immensam urbem et in angusta cimba maria ampla penetramus. Sic per ostium mortis arctissimum ad infinitatem temporum introimus: qualem enim mors hinc animum eduxerit, talem reddet omnibus seculis.

[15] Illud iusticie de qua loquor, munus eximum lateque latissimum, ius suum quique tribuere, nulli sine ingenti causa nocere, et, causa quamvis affuerit, ad misericordiam inclinare, imitantem celestis iudicis eternique regis morem. Cum misericordia enim omnibus necessaria, eo quod a peccato nemo prorsus immunis sit, et propter fragilitatem nostre conditionis omnibus ferme sit debita, consequens est, ut qui vere iustus esse voluerit, et misericors sit. Quamvis ergo misericordia et iustitia prima fronte contrarie videantur, recto iudicio inseparabiliter sunt coniuncte, imo quidem «liquet iustitiam esse misericordiam et misericordiam esse iustitiam», quod preclare in libro *De obitu Theodosii imperatoris* sacer ait Ambrosius, ut iam non coniuncte tantummodo sed unum sunt. Nec ideo tamen illud exigitur, ut sicariis proditoribus atque beneficis, ceterisque id genus impunitas tribuatur, ne, dum in paucos misericors vis videri, sis crudelis in plurimos; sed, ut levitate lapsis atque errore, si sine exempli periculo fieri potest, misericordia non negetur. Alioquin

fieri potest ut nimia misericordia et indiscreta lenitas sit magna crudelitas.

[16] Illud preterea ad amorem civium promerendum efficax, si rector populi non iustus modo, sed beneficus sit in suos, quod si non possit in singulos, ut saltem in universos: vix est enim qui diligit a quo boni nichil vel publice vel privatim speret. De amore illo loquor quo amantur principes. Amicorum enim aliis quidam amor est sese contentus, nilque vel postulans vel expectans. Hoc in genere est templorum refectio et publicorum edificiorum, in quo quidem ante omnes laudatus est Augustus Cesar ut eum merito Titus Livius «templorum omnium conditorem aut restitutorem» dicat, et ipse, quod Tranquillus ait, «iure sit gloriatus urbem se marmoream relinquere quam lateritiam accepisset». His accedit et murorum urbis edificatio, que res in primis clarum nomen Aureliano peperit, truculento alioquin et sanguinario principi. Qui cum non amplius quam sex annos eosque non integros imperaverit, in tam parvo tempore «muros urbis Rome» quos usque nunc cernimus «sic ampliavit», ut, sicut Flavius Vopiscus historicus, illorum credo temporum mensuram secutus, ait, «quinquaginta prope milia passuum murorum eius ambitus teneant». Qua in re maiorum industrie gratiam habe qui hanc tibi partem solicitudinis abstulerunt; ut nesciam an ulla usquam vel externarum urbium vel nostrarum muris nobilioribus cincta sit quam patria tua est.

[17] Nec minorem ego illos curam viarum quam murorum habuisse arbitror: etsi enim muri tutum presidium bello sint, vie sunt pacis gratissimum ornamentum. Hoc interest quod muri in longum evum mole sua stant, vie autem assiduo usu hominum et presertim equis atque ante omnia nostris his tartareis curribus deteruntur, quos ego fateor pro virili parte optarem nondum Erithonius invenisset; ita non vias tantum sed domorum fundamenta atque in eis habitantium et boni aliquid mente volventium. His tu nunc igitur opem fer longa

estate convulsis tuumque auxilium tacita deformitate poscentibus. Non te his difficilem prebere debes. Huius enim non tantum patrie civibusque tuis es debitor, cui et patrie decor et civium honesta solatia cure esse debent, — suntque, non dubito — sed id ipsum etiam tibi debes. Ex omnibus namque non modo principibus, sed cuiuscumque status hominibus alium non videor vidisse preter unum clare memorie genitorem tuum, qui tam diu et tam sepe equo patriam permearet. Neque in vobis morem improbo, quibus unum studium unaque rei publice cura est: civibus nempe fidelibus conspectus boni principis pericundus est. Curare igitur debes ut quod libentissime facis, securissime facias: ut periculo et difficultate cessantibus ex equestri vectatione facilem atque honestam percipias voluptatem. Committe igitur rem istam alicui viro bono tuique et rei publice studiose, neu metuas ne famoso ornatoque homini officii vilioris iniuriam inferre videaris. Animo bene enim instituto et egregio civi nichil vile videbitur quod ab obsequium patrie iubeatur. Historiam locus hic exigit. Fuit Thebis vir fortissimus simulque doctissimus Epaminondas quem, si seposita fortuna que indignos sepe concelebrat sola virtus attenditur, aut Grecie principem aut unum ex paucissimis dixisse non verear. Huic tali viro, cum quo «manifestum est patrie gloriam et natam et extinctam fuisse», sic enim de illo verissime scriptum est, infensi cives, quod crebrum liberis in urbibus est malum, sternendarum viarum, quod apud eos vilissimum habebatur, officium commisere, ut vel sic spectatam viri gloriam obscurarent. Ille nec ferro nec saltem verbo ultus iniuriam prompto animo commissum munus excipiens: «Curabo, ait, ne tam michi delati ministerii obsit indignitas, quam ut mea illi dignitas prosit, ut ex abiecto atque ignobili meas inter manus nobilissimum fiat». Id enim vero splendida mox administratione sic prestitit, ut despectum plebeis quoque negotium illustribus etiam exoptandum linqueret. Idem ego nunc cuicumque industrio ac fideli viro opus

hoc mandaveris, eventurum spero, ut certatim multi postea idem petant, atque ita paulatim caritate civium vetus patria iuvenescat.

[18] Unum michi nunc pene ridiculum occurrit ut scribam, de quo scilicet presens nuper tecum egi nostros inter libellos, cum ad me visendum tunc venisses, quem honorem michi indigno se dignatio tua prestat. Ante oculos autem res erat, unde oblata materia est sermoni. Est autem talis patria quidem tua et nobilitate civium et fertilitate locorum et vetustate venerabilis et ipsa etiam urbe Roma seculis multis antiquior, denique et Studio ornata et clero ac religionibus et sacris et insignibus locis, et ad ultimum Prosdocioque pontifice et Antonio iuniore et Iustina virgine, quodque nec ego reor contemnendum nec tu reri debes, et te domino ac rectore, et virgiliano tandem carmine nobilis; hec urbs, inquam, talis, tot preclara fulgoribus, te spectante nec obstante cum possis, ceu rus horridum ineptumque, porcorum gregibus deformatur: passim, quocumque te verteris, grunnientes audias solumque suffodientes aspicias. Fedum spectaculum, tristis sonus. Que nos utcumque iam longa consuetudine toleramus, advene sunt qui arguunt et mirantur. Quod cum merito omnibus odiosum sit, nulli tamen odiosius quam equitantibus esse debet, quibus cum semper importunum sepe quoque pericolosum est, dum occursu fidi et intractabilis animantis equi in stuporem et nonnunquam in precipitum impelluntur. De hoc ergo cum tecum agerem, dixisti statutum populi vetus esse ne id fieret penamque additam, ut porcos in publico repertos auferre volentibus liceret. Sed an nescis ut homines sic humana cunta senescere? Senescunt iam pene romane leges, et nisi in scolis assidue legerentur, iam procul dubio senuissent: quid statutis municipalibus eventurum putas? Ut statutum illud igitur antiquum valeat, revocandum, et voce preconia publicandum est, penis vel eisdem vel gravioribus appositis. Submittendi aliqui preterea qui vagantes porcos eripiant, ut vel damno admoniti urbani

isti pastores intelligent non licere eis quod publice leges vetant omnibus. Qui porcos habent, rure eos alant; qui rus non habent, domi eos includant; quibus autem non est domus, nec civium domos nec honorabilem aspectum patrie dehonestent, nec famosam urbem Patavum haram fecisse porcorum, quia libitum et libitum, arbitrentur. Frivola ista fortasse dicet aliquis; ego nec frivola nec spernenda contendo. Restituenda maiestas sua est urbi nobili et antique, non in magnis tantummodo, sed in parvis, nec in his solum que ad intimum rei publice statum sed que ad exteriorem quoque pertinent ornatum, ut oculi etiam partem suam de communi felicitate percipient, et cives mutata civitatis facie glorientur et gaudeant, nec se villam sed urbem ingressos sentiant peregrini. Hoc patrie debitum, hoc te dignum maximeque tuum censeo. Et de hoc quidem pro re satis est dictum.

[19] Unum subinde nunc aliud ex his oritur, ut, viis publicis intra et circa urbem reformati, paludum in circuitu siccandarum proxime studium sollicita pietate suscipias. Nullo enim modo alio pulcerrime regionis faciem sic ornare potes, et paludibus his obsessos colles Euganeos, late notos ac Minerve ramis et Bachi insignis uberrimo palmite nobiles, sic in veram telluris optime speciem reformare, quin et Cereri exclude pingua arva restituere, que nunc fedus et supervacuus humor premit. Ita undique utilitas cum decore certabit, tuque multiplicem tibi laudem unico labore conflaveris. Arripe, queso, et hanc glorie partem, quam maiores tui omnes seu non viderunt seu spreverunt seu aggredi timuerunt. Tibi tam pio in opere Deus aderit. Nam natura adest utique, quod paludes pene omnes altioribus locis sunt, ut ad infima derivari vel in flumina proxima vel vicinum in mare perfacile valeant, quo et presentibus terre uber et locorum forma et celi serenitas salubritasque proveniat, et posteris vel ob hoc unum tui nominis eterna memoria. Etsi autem, quod indignans sepe audio, his otii inertis amatoribus res impossibilis

videatur, est tamen, quod sensus ipse iudicat quodque incole testantur, non possibilis modo sed facilis. Aggredere tandem, vir magnanime: pium conatum prosper eventus excipiet. Ne te indignam vero curam extimes quam se dignam Iulius Cesar extimavit, de quo scriptum est quod ad ultimum inter multa parabat siccare Pomptinas paludes Istmumque perfodere montem, in quo Corinthus sita est, ut ad orientem arthonque navigantibus iter compendiosius redderetur. Cuperem tantus essem ut ea cura te tangeret. Nunc paludes tantum patrias non distantes ut pomptine erant, sed contiguas positasque sub oculis, dum et vita et sospitas et etas integra est, tuo iussu ac studio expurgandas siccandasque denuntio. Utque te in risum cogam, ne nil aliud quam verba ponere dicar in hanc rem, arcuam ipse meam alienigena in particulam impense huius offero. Quid civibus debitum? quid domino? Ac si forsitan nominatim auxiliaris quantitas collationis exigitur, scies in tempore. Nunc illud respondebo quod Augusto quondam Cesari libertus suus: «Confero tibi, domine, ad novi operis impensam quod videbitur». Sane, quod ad viarum curam de qua prius agebatur attinet, eo inter cetera promptior esse debes, quo et honestior simulque facilior cura est. Nam, ut audio, publici olim ad hoc redditus deputati sunt, ut sine onere civium, sine tua vel erarii iactura fieri valeat quod res poscit.

[20] Neque enim inficiar neque ignoro ei, cui reipublice cura commissa est, summo opere providendum, ut inutilibus ac superfluis impensis abstineat, ne exhaustum vanis erarium necessariis non sufficiat. Nichil igitur effundat, nil omnino faciat, nisi quod ad decus aut commodum pertineat civitatis, cui presidet; aut regni sic ad summam agat omnia ut administrator non ut dominus. Philosophicum nempe consilium est in *Politicis* latius expositum, et usu utile deprehensem et consonum equitati. Ceteri enim non rectores atque conservatores urbium sed predones sunt. Semper

illud ergo meminerit quod ab Adriano principe iuste nescio magis an civiliter dictum est. De quo Elius Spartanus ita scripsit: «Et in concione et in senatu sepe dixit: ita se rem publicam gesturum ut sciret populi rem non esse propriam». Ita, inquam, agat omnia, ut rationem de omnibus redditurus, utique enim rationem reddere habet, etsi non hominibus, at Deo. Et certe rationarium imperii Augustum Cesarem egrotantem senatui reddidisse notissimum est; et quisquis bonam honestamque vitam agere instituit, quocumque in statu sit, ita se gerit, ita cuncta circumspicit, ut, si nulli teneatur, possit tamen omnibus reddere rationem causamque probabilem. Hec est enim fere, ut vult Cicero, descriptio officii, quod qui negligit, et virtutem ipsam negligat oportet. Quid autem refert alteri non teneri, cum sibi ipsi sueque conscientie animus teneatur, cui nisi satisfaciat, tristis et anxia vita sit? Iure ergo laudatur illud non optimi licet principis sed optimum tamen et generose fidutie plenum verbum in senatu habitum: «Dabo», inquit Tiberius, «operam ut rationem factorum meorum dictorumque reddam». En plus aliquid quam quod querebamus, non factorum modo sed dictorum ratio. Circa publicorum sane sumptuum parcitatem illud Vespasiani principis considerare profuerit; qui licet multa publice decora liberaliter fecisset, tamen artifici columnas ingentes parvo sumptu se in Capitolium pervecturum promittenti, dignum quidem ingenii precium dedit, at operam non admisit, et, «sine», inquit, «me plebeculam meam pane pascere». Pia prorsus boni principis et laudabilis cura; omni studio famem plebis arcere sobriamque simul copiam comitemque illius honestam letitiam procurare. Siquidem illud Aureliani principis dictum: «Neque enim populo romano saturo quicquam potest esse letius», eque ad omnes populos trahi potest, quos non tam virtutum, quam victualium contristat inopia. Sic populorum omnium felicitas in corpore potius quam in animo sita est.

[21] Ex hac nempe solicitudine non modo gaudium popularium procedit, sed etiam securitas presidentium. Nichil est enim terribilius plebe famelica de qua dictum est:

nescit plebs iejuna timere.

Idque non tantum veteribus scriptis, sed exemplis sepe recentibus et presertim Rome nuper innotuit. Hoc in genere maxime Iulii Cesaris laudatur industria: quod et bellis gallicis atque germanicis huic cure semper intentissimus fuerit, et reversus Romam nichilo segnior ad conquirendum frumentum necessitatibus populi succursurum navigia per frugiferas insulas sedula intentione disperserit; neque minus Augusti Cesaris, de quo scribitur, «quod frumentum in annone difficultatibus sepe levissimo, interdum nullo precio viritim populo» distribuit. Et hec quidem ita demum vera principis laus est, si non adulandi animo, ut multi solent populos mulcere, quo patientiores habeant liberiusque decorient, sed vera et patria fit pietate. Quod in ipso Augusto clare patuit, qui cum populum fame laborantem nunc, ut dixi, levi pretio nunc gratuita liberalitate relevasset, de vini inopia lamentantes acri et sobria oratione redarguit, ut constaret non blandum principem sed salubrem esse et amantem populi. Dixit enim urbem Romam aque ductibus abundare quibus siti hominum esset occursum: idque a Marco Agrippa genero suo factum ait, et siluit Tiberim menibus illabentem. Et revera non est par frumenti ratio et vini: cum illud vite necessarium sit semper, hoc sepe damnosum. Neque tamen hoc minus populo placuisset, voluptaria prope quam necessaria plus amanti; verum optimus ac providentissimus princeps non quod delectaret, sed quod prodesset attendit. Hec nimirum cura frumentaria tam principum sua est, ut eam malis quoque et inertibus fuisse comperiam: ex quo quanta bonis esse debeat primum sit advertere. Qua te tamen magna ex parte Deus liberat ac natura earum regionum quibus presides, ubertate que prestat, ut sepius aliis subvenire soleas quam ab aliis

mendicare. Consilium est tamen ut in prosperis quoque paratus sit animus ad adversa, et velut e specula non quid est tantum, sed quid esse possit, vigili cogitatione prospiciat: ne qua eum inopina mutatio rerum turbet. Hactenus necessaria nescio an pluribus an paucioribus quam necesse erat, attigerim. Nam illa in viscerationibus ac ludis circensibus et ferarum peregrinarum exhibitione luxuria ad nichil utilis, delectationem solam ac libidinem oculorum habens brevem nec honestam quidem nec honestis dignam oculis, quamvis insano pessimoque rerum iudici vulgo grata, repudianda tamen est penitus. Ubi non satis possum romanorum veterum sapientiam admirari, qui cognoscentes rei vanitatem, ut per ambitionem populo cari essent, non vererentur in hanc rabiem, vertendum in alios usus, erarium exhaustire; de qua re si loqui velim, et qui duces in hoc lubrico suis temporibus lapsi sunt, et furores singulorum exequi, longa nimis et a proposito semota erit historia. Itaque ad inceptum redeo.

[22] Si quando igitur rector populum suum gravare aliqua in parte decreverit — quod nunquam debet velle, nisi statu publico urgente — ita id faciat ut eum omnes intelligent cum necessitate luctari et invitum facere, ac, nisi res cogeret, libentius cessaturum. Erit et sibi glorie ingenti si in exactione publica aliquid ipse de proprio contulerit, et populi moderator esse se unum e populo pia moderatione probaverit. Quod senatum romanum bello punico secundo consilio ac suasu Valerii Levini consulis multa cum laude hominum fecisse proditum memorie est. Quicquid denique fuerit, leviorem semper et leniorem in partem vergat exactio: et illud, etsi, ut dixi, non boni admodum principis, optimum tamen verbum e memoria non discedat, qui presidibus onerandas tributu provincias suadentibus rescriptsse legitur «boni pastoris esse tondere pecus non deglubere». Quod si dictum de provinciis iure laudatur, quid de patria sentiendum? Proinde, quoniam te non nisi bonis et illustribus comparatum velim, hos imitare, obsecro, atque horum exempla

complectere, qui rebus ac verbis claram laudem iustitie meruerunt. Oblata tibi igitur ab exactoribus tuis magni cuiuspam lucri spe, Antonium Pium tibi animo prepone, de quo scriptum est quod nunquam letatus est lucro quo provincialis opprimeretur: quanto igitur minus civis! Similiterque Constantium, cuius dictum est laudabile: «melius publicas opes a privatis haberi quam intra unum claustrum reservari». Eiusque dicti duplex est ratio. Nam plurium et intentior est custodia quam unius et simul utilior, quod privati de pecuniis per industram lucrum captant, que apud unum quid nisi iners pondus et inutile per avaritiam acervantur. Divitias autem populorum principum esse divitias quis non videt? Sicut vice versa, ut ait ille,

non sibi sed domino gravis est que servit egestas.

[23] Sunt et alia leviora ad captandum amorem tamen efficacia, superbis fateor dura principibus, sed, ubi se ad humanitatem animus inclinavit, et facilia et iocunda. Ea vero sunt huiusmodi, consolari, visitare, alloqui, Habes Adrianum rei huius autorem, de quo ita scriptum est: «egros bis aut ter in die et nonnullos equites romanos ac libertinos visitavit, solatiis refovavit, consiliis sublevavit, conviviis suis semper adhibuit». Hec ille. Et quis oro tam immitis est animus qui non hac tanta domini sui presertim lenitate mitesceret? Et harum quoque artium nullus abundantior est quam tu. Illis utere naturamque tuam sequere: sic optata provenient universa. Oppressis et vel morbo vel alia clade laborantibus pia mente compatere: et, si potes, etiam opem ferre debes. Haud dubie: tui sunt. Quis nisi impius atque immanis, ut suos amet atque adiuvet, exorandus est?

[24] Sicut autem nulla re facilius quam clementia et liberalitate amor queritur plurimorum, sic econtra nil potentius ad odium concitandum quam crudelitas atque cupiditas. Que si invicem conferantur, crudelitas acrior, avaritia communior: crudelitas durius, sed in paucos sevit, avaritia lenius sed in cuntos. Hec duo vitia

innumerabiles tyrannorum ac principum perdiderunt odiososque et infames omnibus seculis reddiderunt. Et tecum diutius quidem loqui de crudelitate non attinet, cuius tam non expers modo, sed hostis et, ut nulli difficilius sit contra naturam niti quam tibi crudele aliquid ne dicam facere sed etiam cogitare. Ignobilis est enim ac pusilli sibique diffidentis animi crudelitas et, potestate ultionis oblata, nil inultum linquere, vitium a natura hominis et presertim principis alienum, cui ulciscendi potestas magna satis est ultio. Unde illud Adriani breve dictum longum laudabitur in evum, qui cuidam, quem capitalem hostem privatus habuerat, adeptus imperium trepidanti merito et extrema omnia metuenti placata fronte dixit: «Evasisti». De hoc vero nil amplius nisi quod summum nature bonum est, quantum michi videtur, humanitas, sine qua non modo non bonus quisquam, sed ne homo quidem dici possit.

[25] At cupiditatem ex animis extirpare difficilius. Quis est namque hominum qui non aliquid concupiscat? Illud hortor atque obsecro, ut, quando honeste ac magnifice vite modo Deo largiente consultum est, appetitum concupiscibilem sequi nolis. Est enim sitiens semper inexplebilis infinitus, cui quisquis obsequitur, dum alienum appetit, suum perdit. Miraris forsitan? Sic est hercle: qui aliquid valde cupit, et id nondum habet et quod habet obliviscitur. Sic credule voluntates aguntur in devia et, dum lucra cogitant, damna non vident: quo nescio an laboriosius malum aliud habeat vita mortalis. Nec tu tecum nec cum aliis dicas id quod multi solent: «Nunc, fateor, bene est: sed quid post multos agam annos?». Hec quidem supervacula cura est, non de annis modo, sed de vita hore unius incertis. Abice prorsus hanc solicitudinem. Scriptum est: «Iacta super Dominum curam tuam et ipse nutriet, nec dabit in eternum fluctuationem iusto». Quid fluctuas? quid angeris? quid solicitus es? nescis quia Dominus solicitus est tui? Bonum curatorem habes: non te fallet: non destituet. Scriptum est rursus: «Domino revela iustitiam tuam et viam, et spera

in eo, et ipse faciet». Monacorum, dicat aliquis, non principum sunt ista consilia. Qui hoc dicit non intelligit eo plus principes teneri et Deum diligere et de Deo sperare, quo ab ipso maiore et plura receperunt. Non sperare enim minora, a quo maiora percepis, species est ingrati. Ipse igitur qui te pavit ab infantia, te pascet ad ultimum, nec in se sperantem deseret qui, dum sperare in eum nondum scires, imo adhuc matris in utero latitantem non destituit. Quod si cupiditas vellicat, quam radicitus avulsisse difficile, monstrabo tibi cupiditatem irreprehensibilem gratiosam: virtutum thesauros et preclaram fame supellectilem concupisce: quibus nec tineet nec fures officiant nec rubigo.

[26] Nisi autem vel belli, ut nuper tibi, vel aliqua ineluctabilis difficultas inciderit, quicumque dominis lucra de suorum damnis ostentant, qui est aulicorum fere omnium mos vulgaris, ita illos ut anime fameque sue hostes aspiciant. Incitant dominos ut cum illorum invidia furentur et rapiant, genus hominum nequissimum populos torquentium dominosque fallentium, simulque alios seque perdentium. De quibus vera et memorabilis est illa sententia Marii Maximi, cuius Elius Lampridius meminit in historia Alexandri principis — ipsa enim verba posui — «meliorem esse rem publicam et prope tutiorem in qua princeps malus est ea in qua sunt amici principis mali, si quidem unus malus potest a plurimis bonis corrigi, multi autem mali non possunt ab uno quamvis bono ulla ratione superari». Idcirco idem Alexander bonus princeps fuit, quod preter insitam animo virtutem amicos, ut ibidem scribitur, «sanctos et venerabiles habuit non malitiosos nec furaces nec fictiosos non callidos non ad malum consentientes non bonorum inimicos non libidinosos non crudeles non circumventores sui non irrisores non qui illum quasi fatuum circumducerent, sed sanctos venerabiles continentes religiosos amantes principis sui, et qui de illo nec ipsi riderent nec eum risui esse vellent, qui nichil venderent nichil

mentirentur nichil fingerent, nunquam deciperent extimationem principis sui, ut se amarent». Et hec quidem ille. Tales ergo amici optandi principibus querendique. Alii autem ut et principum pestis et publica quasi hostes excludendi vitandique sunt. Malarum artium doctores, ut qui bonas et nesciunt et oderunt, in primis eam, qua ipsi estuant, avaritiam dominos suos docent; ut, si persuaserint, discipulos se peiores faciant. Est enim avaritia privatorum mala, principum vero longe pessima; quo et plus licentie habet ad nocendum et quo pulcrior est rerum vilium contemptus in principe, eo admiratio atque aviditas est turpior: neque sine causa doctissimus ille princeps, cuius supra mentio est habita, Marcus Antonius dicere solebat «in imperatore avaritiam acerbissimum malum esse»: ob quam Pertinacem et Galbam tales interitus meruisse quales alii crudelitate meruerant. Hoc igitur malum fugiant oderintque qui virtutem amant, famam bonam cupiunt, sed in primis principes; quod et primi hominum sunt et illis ipsa res publica lucrum ingens ac merces ampla proposita est; quam si rite gesserint, ditissimi omnium mortalium sint futuri et opes immarcescibles habituri: conscientiam letam ac securam, amorem Dei et hominum. Qui appetitum autem sequi volent, omnia illis in contrarium cedent. Nam neque insatiabilem animum satiabunt, et odio Dei atque hominum laborabunt. Ita enim sapientibus visum est, sic experientia docuit magistra certissima: non extingui cupiditatem opibus, sed accendi; optimumque esse consilium Epycuri ut dives aliquis fiat, non divitiis addendum, sed cupiditatibus detrahendum, quamvis, si divitie vere essent que dicuntur, utique divites facerent; sed non sunt. Omnes itaque thesauri qui sub celo sunt, unum divitem non facerent: faciet eum cogitatio una brevis ac modesta, ab avaritia se abstrahens et respiciens ad naturam.

[27] Et plurimos quidem modos querende pecunie in *Yconomicis* ponit Aristotiles, quibus aulici principum nostre etatis

innumerabiles addiderunt, ut tantus ille philosophus hac in parte fuisse videatur indoctior. Omnes tamen bono principi dediscende sunt et contemnende artes, quecumque contra iustitiam pro utilitate videntur institute, cum a doctissimis viris atque sapientissimis diffinitum sit, nichil esse posse utile quod non idem iustum honestumque sit. Et de aulicis quidem quibus bonis nichil est melius: sed id rarum; quibus malis nichil est peius, et id crebrum. De his, inquam, ultimis sententiam meam habes; imo non meam sed Dioclitiani, qui, nisi tam impius fuisset in religionem nostram, ascribi non immerito claris principibus potuisset. Eius ergo de his verba sunt hec, memorabilia nisi fallor, sic ad literam descripta in libro de vita Aureliani. «Colligunt se», inquit, «quatuor vel quinque atque unum consilium ad decipiendum imperatorem capiunt: dicunt quid probandum sit. Imperator, qui domi clausus est, vera non novit; cogitur hoc tantum scire quod illi loquuntur; facit iudices quos fieri non oportet; amoget a re publica quos debeat obtinere. Quid multa? ut Dioclitianus ipse dicebat, bonus cautus optimus venditur imperator». His atque aliis inductus, cum iam deposuisset imperium, concludebat «nichil esse difficilius quam bene imperare». Et vere sic est. Non putent principes felicitatem sibi simulque facilitatem obtigisse: felicitatem qualecumque, certe difficillimam, consecuti sunt. Qui michi non credit, principi saltem experto credat.

[28] Hac parte unum hoc monere satis atque hortari vix sufficio, ne quem talium sic commissem tibi patrie preficias, ut alius dominus sit quam tu. Fuerunt enim multi in imperio qui, dum suos attollere cupiunt, sese depresserunt et contemptibiles atque invisos populis effecerunt, per eos ipsos, quos ad alta promoverant, venditi et irrisi. In quo maxime Claudius, qui Neronem precessit in imperio, vilis est habitus, qui libertos suos, nullius precii homines, Possidem et Felicem, Narcissum et Pallantem, usque adeo evexit, ut provincias regerent eumque ipsum atque imperium spoliarent: et ille infelix

servis suds affluentibus indigeret. «His et uxoribus addictus», ut Tranquillus ait, «non se principem sed ministrum egit»; horumque consilio et impulsu multa stulte gessit, multa crudeliter. Eadem in re notatus est Heliogabalus, quod haberet qui apud eum plurimum possent omnium cum dolore, quique omnia venderent, et familiares improbos, «qui eum», ut Lampridius ait, «ex stulto stultiorem faciebant». Idem reprehensum in Didio Iuliano, quia quos regere auctoritate imperii debuisset, eos regendo imperio prefecisset. Verumtamen hec sub stultis aut mediocribus principibus utcumque tolerabilia. Ego autem ex te nichil mediocre, nichil non egregium et singulare suscipio; non mee quidem et multorum spei satisfeceris, nisi bonos quoilibet et claros viros aut attigeris aut prevectus post terga reliqueris; si quid forte defuerit, non nature imputem sed tibi. Quid vero minoribus immoremur, cum sub Marco Antonio, tali viro et principe, libertos quoque multum potuisse compertum sit? Quo tibi et omnibus quibus preesse et prodesse propositum, diligentius providendum est, ne humanitatis obtentu, qua plurimum polles, in hoc te vitium labi sinas, in quod clari etiam principes lapsi sunt. Etsi enim viri omnes illustres imitandi, non tamen omnia virorum illustrum amplectenda sunt. Nemo est qui aliqua in parte non erret sitque sibi ipse dissimilis.

[29] Dices autem, et fortasse iam dicis: iste homo ingratitudinem me docet; quomodo enim bene meritos mee prosperitatis exortes sinam? Tune id iubes? Absit. Nichil est minus principis, minus viri, quam ingratitudo. Omnis virtus habet aliquos detractores, omne vitium habet aliquos defensores; sola ingratitudo nulli unquam placuit, nulli displicuit gratitudo. Sed sunt alia multa et magna, quibus id meritos prosequaris: equi, vestes, arma, vasa, pecunie, domus, agri, et que sunt eiusmodi. Illud vide «ne», ut scriptum est, «alienis des honorem tuum»; et, si non propter te qui, ut ego te novi, paratus esses non potentiam tuam modo, sed vitam tuam cum tuis

equo animo partiri, at propter patriam ipsam tuam, quam regendam tibi Deus dedit. Ita enim habe. Nil populo tristius, nilque molestius, quam multos, precipue indignos, supra se videre. Unum te igitur dominum sciant omnes, unum colant, unum diligent, unum denique vereantur: reliquos non ut potentes, sed ut a te missos, aspiciant, qui ubi iussus tuos executi fuerint, privati sint, nulla prediti dignitate aut potestate. Non loquor sine causa: vidi et observavi magnis in populis miram erga dominos patientiam, quamvis asperos et immites: nec minus miram indignationem atque impatientiam in eo quod plures suspicere ac metuere cogerentur; de quo ipso tecum quoque videor egisse, dum me ultimo, nisi fallor, anno, altero rure solitarium, dignatus es invisere.

[30] De amicis aliis, qui non opes tuas sed te tuumque diligunt honorem, supervacuum videri potest, quicquid tibi quisquam dixerit, amicitiarum cultori integerrimo atque fidissimo; presertim cum de hac re sit a Marco Tullio eleganti volumine disputatum. Hec fere omnium summa est: nil humanis in rebus amicitia dulcius, nil sanctius post virtutem, eosque qui maxime potentia ac virtute prepolleant, maxime etiam amicis indigere, cum quibus et prospera et adversa participant: ab amico turpe nichil expetendum, pro amico nichil turpe faciendum, honestum amico nichil denegandum: his pro fundamento positis, debere amicorum omnia esse communia, unum animum, unam voluntatem, nec spe ulla nec metu nec periculo distrahendam: amandum amicum ut se alterum et omnem conditionis imparitatem exequandam: denique omnibus modis id agendum quod Pithagoras iubet; ut unus fiat ex pluribus. Que ipsa numquid non satis literis sacris expressa sunt, ubi inter *Actus apostolicos* scriptum est: «Multitudinis credentium et in Cristo sese amantium erat cor unum et anima una, nec quisquam eorum, que possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia»? Et, si quis dicet amicitiam illam fuisse credentium et in

Cristo sese amantium, nec ego de alia loquor, nec amicitiam stabilem nec omnino aliquid firmum reor cui non Cristus fuerit fundamentum. Neque vero ipsi gentium philosophi opinati sunt posse veram amicitiam sine vera sapientia ac virtute consistere: hanc vero non sic accipi debere, ut dixerunt aliqui curiositate ridicula nullum esse vel fuisse sapientem. Non enim illum querimus qui non est, eo contenti sumus quem fert humana conditio, et inter tales esse illam, de qua loquor, amicitiam diffinimus. Cuius consumate quidem ac perfecte, etsi paucissima numerentur amicorum paria, in quibus preclarissimum nomen habent Africanus minor et Lelius, tamen est et hec ipsa communis bonorum hominum amicitia dulcis ac placida, in qua nulla habeat locum adulatio, nulla contumelia aut contemptus, nulla discordia, nulla discrepatio, nisi de amici commodis aut honore, sed pax et consolatio et convictus. Nichil denique in hac fictum, nichil duplex, nichil occultum, sed pura omnia atque simplicia et aperta. Cum tali amico comunicanda omnia dixerim et consilia et actus et honores et divitias et prostremo spiritum sanguinem vitam ipsam, quod plerosque et fecisse liberaliter, et hinc laudatos merito fuisse cognovimus. De quibus nunc agere longum est, de fictis enim verisque amiciis satis multa pro tempore dicta sunt.

[31] Procedo itaque nec ordinem sequor, nisi quem casus obtulerit: ut cogitatus in mente veniunt, ita eos ad calatum deduco. Quoniam ergo de pietate ac liberalitate in amicos dixi aliquid, unum tamen hoc adiciam. Quamvis hodie maxime verum sit quod ait ille,  
dantur opes nulli nunc nisi divitibus,  
multique id faciant, callidi illi quidem et versuti, et, ut verbo utar tulliano, beneficium fenerantes, in eos maxime liberales, qui maxime sunt potentes ad gratiam referendam, tu tamen, qui de tuis beneficiis nichil aliud petis nisi benefacere, et procedentem inde letitiam animi bene sibi consciii, contrarium morem serva, erga magis egentes non

tantum de proprio liberalior, sed sine iniuria a divitibus accipiens quod pauperibus largiaris. Habes rei huius autorem Alexandrum ipsum, de quo dixi, adolescentem egregium ac principem; sic enim ipse faciebat. Nec sum nescius adversum me ipsum esse posse quod loquor, qui, etsi non ad invidiam dives, sim tuo tamen et paterno munere nullius rei egens, que summe divitie iudicio meo sunt. At non me neque alios, sed te unum in hoc sermone respicio.

[32] Unum aliud michi nunc animum premit quod tibi gaudium esse debuerit. Scio quidem non humilitatem in principe, sed magnanimitatem solere laudari. Verum quisque secundum sensum suum. Ego utramque laudabilem iudico nec sibi invicem adversas, ut stulti putant. In hoc enim, ut in multis in fere omnibus, vulgo erratur. Sunt qui superbum magnanimum timidumque humilem dicant: utrumque eque falsum. Volo ego principem inter suos et in prosperitate humilem contra hostes et in adversitate magnanimum, nusquam timidum aut superbum. Est quidem, quantum michi videtur, ad omnem virtutem primus gradus humilitas. Quidam tamen pusillanimes cecique non se dominos credunt, nisi superbiant tumeantque supra humanum modum. Hinc illa stultorum principum ludibria. Gaius Caligula, vilissimus principum, humanis sibi prorsus indebitis non contentus honoribus, divinos voluit, seque statuis in templo positis ut deum adorari et coli, indignus etiam salutari, quin et numini suo templum proprium et hostias et sacerdotes instituit et aureum simulacrum, multa preterea que prosequi est tediosum, credens scilicet hoc magnitudinem augere quo stultitiam detegebat. Quid Comodo incommodius, quid turpius? et huic tamen, pessimo filio patris optimi, immolatum est ut deo et in habitu Herculis oblate sunt statue, qui non modo non deus sed ne homo quidem erat, imo feda prorsus et immitis belua. Quin et Heliogabalus ipse, non principum modo sed hominum spurcissimus,

adorari cepit, qui omnes illico trucidandi et in Tiberim et in cloacas abiciendi erant.

[33] Invitus, fateor, de his loquor, et peccatis, ut reor, exigentibus tales nobis imperatores fuisse verecundor et doleo. At non quod ego cuperem, sed quod res habet, est dicendum, ut michi parcus irasci debeant barbari nostri transalpini, si de eis quoque quod sentio interdum loquar, veritate suadente non odio. Non enim homines odi, sed vitia, eaque non minus, imo equidem multo magis in nostris quam in aliis, sicut proprio in agro quam in alieno lappas ac tribulos et urticas, sed iactantiam vanissimam gentis inutilis et ad predicandum de se mentiendumque promptissime nullo modo, fateor, pati possum. At, ne novam litem cum absentibus ordiar, revertor ad ordinem. Post hos ergo Diocletianus adorari voluit, et non vestibus tantum, sed calciamentis insertis gemmis romanum cesareumque habitum immutavit ingenti novitate in viro alioquin gravi nec incondito et qui imperium tandem quietis amore dimiserit. Ad summam vero sic extimo superbiam et pompas non a magnanimitate sed ab animi imbecillitate procedere. Videtur enim vilibus animis mox, ut aliquid excellentie nacti sunt, ad celum ascendisse, ut subito suimet oblii in cogitatibus evanescant, at vere magnanimis nil est magnum, nil quod eos loco noveat. Itaque Cesar Augustus, principum maximus atque optimus, non modo divinos honores non optavit seque adorari noluit, sed ne dominum quidem dici voluit, ne a liberis ipsis aut nepotibus, imo vero quod Tranquillus ait, «domini appellationem ut maledictum et opprobrium semper exhorruit» edictoque illam vetuit, et contrafuentes corripuit graviter manu vultu voce. Fecit idem Alexander non ille rex Macedum, qui superbia omnes excessit et vanitate, quique Persarum victor, Persarum moribus victus et more Persico adoratus, importuna dementia deus et dei filius videri voluit magna religiosarum aurium iniuria; sed hic alter Alexander, princeps

romanus, qui hodie nobis sepe se obtulit quique non solum se vetuit adorari sed non aliter quam proprio nomine salutari voluit hoc modo: «Ave, Alexander». Siquis autem sermone aut flexu capitis eum blandius salutasset, aut expellebatur aut gravi cachino mordaciter ridebatur.

[34] Ego, si te tuosque mores novi, quos tot annis et nosse potui et nosse michi videor, non dubito te domini titulum patienter ferre potius quam iocunde. Audivi amplius quam semel dum tu dices et iureiurando interposito affirmares non te dominio delectari paratumque illud sponte dimittere, ni timeres ne rem publicam alter invaderet et graviore illa iugo forsitan premeretur et tu esse quod nolles sub domino cogereris: alioquin multo malle te liberum quam dominum, cum et abunde de proprio dives sis, et potens sine tot curis expeditam et tranquillam agere iuventam honoratamque, cum venerit, senectutem. Ex quibus clare conicio michique persuadeo quia, quo minime delectaris, consequens est ut nec eius nomine glorieris. Sed, quoniam populum castigare prescriptamque consuetudinem abolere difficile est, illos uti libet loqui sinis, tu, ut licet et ut decet, loqueris. Nam neque te dominum aut dicis unquam aut scribis: et morem quo nostri temporis principes ac terrarum domini utuntur, alto animo despiciens, tuum sine ullis externis subscriptionibus nudum nomen epistolis adhibes; neque plurali unquam, sed singulari semper uteris sermone, non cum maioribus modo, sed cum paribus cumque minoribus, mecum denique, quo nichil humilius: non nos, inquis, ut ceteri, sed ego hoc volo, hoc precor, hoc iubeo. Quod ego perlegens exulto, et tacitus mecum dico: vir hic, si tumeret animo, et verbis etiam tumeret, ut isti qui videri volunt multi nec sunt singuli nec sunt quicquam. Bene quidem hoc facis et magnifice, et maximos imitaris, etsi non ut imitator, sed proprio id agas instinctu. Quere autem Iulii et Augusti Cesarum epistolas: quarum multas apud Iosephum, quasdam apud Suetonium

invenies: nusquam ibi nos scriptum legitur, nusquam volumus vel precipimus, sed volo et precipio et que sunt similia. Et sane, ut iocari soles, hi qui de se pluraliter loquuntur, seque et uxores et filios et famulos nominare videntur: tu non alium quam te unum nominas: tu unus, quicquid id est, iubes ac statuis. Placet hic animus, placet modestia, placet stilus: quo non duo illi tantum quos premisi, sed plurimi etiam principum antiquorum usi sunt, quorum omnium testes extant epistole diversis in libris. Quod idcirco commemoro, ut et tu stilo tuo gaudeas et alios sui pudeat, quem magni animi signum putant, cum exigui timidiique sit indicium manifestum. Ceterum hec tua in sermone modestia alterius admonet, eius scilicet que exteriore eminet in habitu teque sic spectantium oculis approbat ut auribus altera: quo undique vir perfectus et rationis et sensuum iudicio modestissimus habere. Cum enim ceteri terrarum domini auro purpuraque per ora civium volitent onusti et compti haud aliter quam in diebus festis altaria, seque eo maiores extiment, quo linteo cariore obvoluti fuerint, tu mediocri cultu contentus incedis, ut te dominum non vestis non elatio, sed sola morum gravitas et frontis probet auctoritas. Bonum duplex ut in contrario duplex malum, et iactantia per se ipsam odiosa et imitationis periculosa contagio. Populi enim omnes actus principum et habitus imitari student. Ita sit verissimum nullos magis rei publice nocere quam qui exemplo nocent, quia verum est quod ait ille:

Componitur orbis regis ad exemplum.

Sic est hercle: mali mores principum non eis tantum, sed omnibus sunt damnosi. Est his quidem consentaneus atque conveniens locus apud Marcum Tullium tertio *De legibus*. Nec enim, inquit, «tantum mali est peccare principes, quamquam est malum per se ipsum malum, quantum illud quod permulti imitatores principum existunt. Nam licet videre, si velis replicare memoriam temporum, qualescumque summi civitatis fuerint, talem civitatem fuisse:

quecumque mutatio in principibus extiterit, eandem in populo secutam. Idque haud paulo est verius quam quod Platoni nostro placuit qui musicorum cantibus ait mutatis mutari civitatum status: ego autem, nobilium vita victuque mutato, mores mutari civitatum puto. Quo pernitiosius de re publica merentur vitiosi principes, quod non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem: neque solum obsunt quo ipsi corrumpuntur sed etiam quod corrumpunt, plusque exemplo quam peccato nocent». He Cicero. Ego vero, quotiens te video, mecum et cum aliis dicere soleo: hoc duce disset nemo superbiam, nemo pomposos habitus induet: et sepe michi illud occurrit quod apud Livium de Hanibale scriptum est: «vestitus nichil inter equales excellens, arma atque equi conspiciebantur», quamquam id in tempore belli non tantum laudis habet et in homine bellicoso, unde delitie omnes excluduntur. Tu modestiam pacis et prosperitatis in tempore exhibes, que immoderantie atque insolentie matres sunt. Itaque tuus hic habitus omnia cogitanti non tam illum, quem dixi, Hanibalem quam Augustum Cesarem ad memoriam reducit, de quo regum omnium et populorum domino summa in pace scriptum est quod veste non temere alia quam domestica usus est, ab uxore et sorore et filia neptibusque confecta.

[35] Multa nunc etiam occursant ni vererer ne qui te fortasse fastidio his affeci, cunta prosequendo conficiam. Unum hoc nullo modo pretereundum reor, quod preclaros maxime ac verendos principes facit, in quo tu quidem hortatore non indiges, viros egregios ut honores tibique familiarissimos efficias. In hoc enim per te ipsum adeo pronus es ut, contrarium facere si velis, natura ipsa prohibeat: nichil autem fit melius quam quod duce fit natura. Efficax consuetudo, efficax doctrina, efficacior natura est; omnes si iunguntur, efficacissime. Egregios autem viros dico, quos e grege hominum vulgarium aliqua abstraxit excellentia, et vel iustitia insignis ac sanctitas, quod heu nostra etate perrarum est, vel rei

militaris experientia ac doctrina vel literarum copia rerumque notitia singulares fecit. Quamvis autem «plerique arbitrentur res bellicas maiores esse quam urbanas, minuenda est tamen hec opinio», ut *Officiorum* primo ait Cicero. Ponit exempla greca et latina, Themistoclem et Solonem, Lisandrum et Ligurgum, et ex nostris Gaium Marium et Marcum Scaurum, Gneum Pompeium et Quintum Catulum, Africanum minorem et Publum Nasicam, denique se ipsum homo glorie appetentissimus his exemplis interserit. Nec iniuste tamen id quidem: sine dubio enim non plus egit Antonius dum armis et acie Catilinam fregit, quam Cicero ipse, dum coniurationem impiam alto consilio patefecit, et coniuratos oppressit in carcere.

[36] Et in hoc quidem urbanarum rerum studio literati homines excellunt. In hoc autem numero literatorum hominum magnum locum iurisconsulti tenent, utilissimi semper rei publice, si iuris noticie iustitie quoque amor et cultus accesserit, et sint, ut Ciceronis utar verbo, «non magis iuris consulti quam iustitie». Sunt enim qui ius atque iustitiam quam profitentur, oppugnant professionis sue nomine prorsus indigni. Non enim satis est scire, nisi et velis, et voluntas bona rectam scientiam comitetur. Talibus sane multi principum suum imperium exornarunt: Adrianus Iulio Celso, Salvio Iuliano, Neratio Prisco; Antonius Scevola; Severus Papiniano; Alexander Domitio Ulpiano, Fabio Sabino, Iulio Paulo aliisque compluribus. His tu semper, quantum etas hec patitur, patrie tue studium honestasti. Sunt et literatorum species alie ex quibus et oportuna consilia sperari possunt et docta colloquia et, ut dicere solebat Alexander, fabule literate. Itaque et medicos et liberalium artium magistros civitate donasse Iulius Cesar legitur. Quibus omnibus haud dubie preferendi sunt qui eam, quam theologiam vocant, sacram scientiam profitentur, modo illam ab inanibus sophismatibus incorruptam servent.

[37] Faciebat hoc autem princeps prudentissimus ut et literati homines libentius Rome essent, et ceteros ad studendum tanti spe premii invitare[n]t. Erat enim cara res admodum civilitas tunc romana, unde et Paulo apostolo se romanum civem asserenti tribunus in cuius ille potestate tunc erat, ait: «Ego, multa summa civilitatem hanc consecutus sum». Tu, vir inclite, qui rem tantam dare non potes, hoc tantum prestabis, ut doctos honestique studiis claros viros loco civium tuorum habeas, et civili urbanitate prosequaris sic, ut urbem tuam virorum illustrium incolatu Studiumque iam vetustum renoves et exornes. Nichil enim eque eruditos homines allicit ac principum familiaritas atque dignatio. Familiam illam nempe clarissimam non tam Augustus Cesar imperio quam convictu et morum comitate contraxerat. Habuit ergo in sodalitio Marcum Tullium Ciceronem primo, consequenter Asinium Pollionem, Valerium Messalam, Parium Geminum, florentissimos oratores: Publum quoque Virgilium, Horatium Flaccum, poetas egregios, ad quos sunt ipsius principis familiares epistole; quibus ille summus hominum mundi dominus duobus illis rusticani mantuane et venusine originis non se equat tantummodo, sed submittit quodammodo, ne quem plebeie familiaritatis unquam pudeat, quam ingenium ac doctrina nobilitent. Quem puderet enim, queso, cuius Augustum non puduerit? Tuccam preterea et Varum cremonensem habuit et Ovidium sulmonensem, quamvis hunc ultimum suo indignum contubernio iudicans relegarit: habuit et Marcum Varronem doctissimum, ut perhibent, romanorum historieque patrem Titum Livium patavinum, qui tuus, nunc si viveret, civis esset: habuit et alios multos, uno tempore non minus quam omnibus romanis legionibus illustratus hoc doctorum hominum comitatu. Nam quid tantum sibi conferre potuerant vel triginta quinque tribus populi romani vel quadraginta quator legiones bellatorum — tot enim habuisse illum invenio — quantum Virgilius solus contulit ad

eternam famam? Vivit illa utique: cetera periere. Neque vero tantum ex Italia, sed ex Grecia quosdam quoque cesaree fama lenitatis allexerat. Nam quid, oro, bene meritis et insignibus viris potest esse iocundius quam sub iusto et miti principe ac favorabili extimatore meritorum vitam agere? Unde illud opinor, multos horum interdum tua e patria digressuros, ni tu illos tue notissime benignitatis vinclis astringeres. Laudo equidem et probo. Armati enim tibi ad horam utiles esse possunt et temporale obsequium prestare, literati autem et temporale consilium et mansurum nomen, insuper ascendendi ad superos rectum iter ostendere atque ascendentem lingue ulnis attollere aberrantemque retrahere.

[38] Sed iam satis est, vereorque ne nimium. Cogitaveram incipiens te in fine ad corrigendos populi mores adhortari: nunc recogitans impossibile prorsus esse quod molior, nec unquam legum presidio fieri potuisse nec regum, propositum intermisi. Impossibilium nempe deliberatio vana est; verumtamen populi mos est unus, quem dissimulare non possum, quominus te non modo exhorter, sed obtester, ut morbo publico dexteram tue correctionis admoveas. Nec dicas: hoc quod corrigi postulas, non est patrie mee proprium, sed commune urbium multarum. Pertinet enim ad decorem tuum, ut, sicut tu adeo multa singularia recepisti, quibus inter coetaneos tuos excelleres, sic patria tua singulare aliquid a te recipiat, unde excellat inter proximas civitates.

[39] Nosti quidem, virorum optime, in veteribus sacris literis ita scriptum: «omnes morimur»; in recentioribus autem ita: «statulum est hominibus semel mori»; in secularibus demum ita: «moriendum esse certum est: et id incertum an hoc ipso die»: quod, etsi nusquam esset scriptum, non minus ideo certum esset, natura nos identidem admonente. Nunc vero an natura ipsa an consuetudine in naturam versa nobis accidit ut nostrorum mortes sine dolore et gemitu vix feramus, et eorum exequias sepe tristi vociferatione prosequamur,

quem morem vix tam usquam alibi radicatum quam in patria tua vidi. Moritur aliquis seu plebeius ille seu nobilis — quod ad hoc enim attinet, nichil refert, quia non minus, sepe etiam magis, plebeiorum quam nobilium animi quauntur affectibus et quod deceat minus vident — mox ut is spiritum emisit, dolor immodicus atque ingens fletus exoritur. Hunc ut inhibeas, non peto. Esset enim longe difficile et fortassis impossibile homini, et si Ieremias propheta dicat: «Nolite flere mortuum, neque lugeatis super eum fletu» et poeta magnus Euripides in *Cresphonte* scribat decere, consideratis presentis vite malis, ut in orto nostrorum lugeamus in obitu gaudeamus. Sed hec sententia nimis philosophica paucissimis nota est, vulgo autem prorsus inopinabilis et inaudita. Quid peto igitur dicam. Effertur funus, matrone catervatim prodeunt in publicum vicosque et plateas altis complet inconditisque clamoribus, ut si quis rei nescius interveniat, facile possit aut illas in furorem versas aut urbem captam ab hostibus suspicari. Inde, ubi ad templi fores est perventum, geminatur fragor horrisonus et, ubi Christo laudes cani sive pro defuncti anima devote preces vel submissa voce vel in silentio fundi debent, illic meste reboant querele et femineis ululatibus altaria sacra pulsantur, quia scilicet mortuus sit mortal is. Hunc morem, quia gravi et nobili contrarium politie tuoque regimine indignum, censeo ut emedes, non tantum consulo, sed, si licet, obsecro. Iube ne qua prorsus hanc ob causam pedem domo efferat: si flere miseris dulce est, quantumlibet domi float, faciem publicam non contrastet.

[40] Dux ecce plura fortasse quam debui, sed pauciora quam volui. Si in alterutro sit erratum, da veniam, vir illustris, et boni consule diuque feliciter rem publicam rege et vale.

Arquade, IV Kal. Decembris.

## Ad Franciscum Carrariensem

*Ad eundem esse humana mirabilia et non esse.*

[I] Affectum graviter et pene me tedio rerum presentium consopitum una tua, vir inclite, et brevissima et simul doctissima vox excivit. Ea vero fuit huiuscemodi: Que in mundo fiunt seu contigunt omnia, seu bona illa seu mala sint, et mirari te et non mirari; atque te michi ceu talium cognitori — verbis utor tuis — ac magistro rei huius iudicium relinquere. Ego in his ingenium tuum olim michi notissimum recognosco, et generosi enigmatis vim perpendo simile quiddam habentis Heraclito. Ille enim ait *In idem flumen bis descendimus et non descendimus*: tu autem rem eandem et mirari te dicis et non mirari. Contraria hec videntur, sed non sunt: utriusque sue sunt cause, ut et miretur sapiens et non miretur, ne utrumque mirabile sit habendum. Fuit aliquando qui quereret: *Si est deus, unde malum? Si autem non est deus, unde bonum?* Perplexa illi autem interrogatio; nobis et omnibus qui non in totum desipiunt, deum esse nulla prorsus est dubitatio, quamvis *insipiens in corde suo* dixerit: *non est deus*. De hoc ipso tamen deo non solum innumerabiles extere nationes sed, quod dolendum est magis, multi etiam ex nostris, seu ignorantia seu superbia, male sentiunt ac senserunt. De quo quidem non modo cristiane religionis theologi, sed pagane etiam superstitionis philosophi questi sunt. Immerito illi quidem: non enim in uno errant aut in altero, sed quicquid loquuntur aut sentiunt error est, cum deos celebrent non deum. Sed ne longius eam a proposito, quicquid usquam boni est, ad hoc uno deo esse non ambigitur: quicquid autem mali, vel a suggestu demonum vel a perversitate hominum qui libero creati arbitrio ad deteriora voluntate inclinantur.

[2] Cum igitur aut insignis pietas aut caritas aut fides in homine cernitur, est, fateor, quod mireris. Cur, queso, nisi propter eximiam raritatem? Multa enim mirabilia raritas fecit, que natura non fecerat: raros autem bonos ait satyricus poeta et numero vix septem esset confirmat, quos ad unum regius propheta restringit. Sed sequamur communia: certe quotcumque sunt boni, paucissimos esse nemo est qui nesciat. Hec est admirandi causa: de qua satyricus idem ait. *Nunc si depositum non inficietur amicus, si reddat veterem cum tota erugine follem, prodigiosa fides et tuscis digna libellis queque coronata lustrari debeat agna* et que in hanc sententiam sequuntur. Contra vero, dum ceperis cogitare virtutem omnem non ab alio esse quam ab illo qui est dominus virtutum, non miraberis ab eodem qui potest omnia et vult bona, non in animam modo rationalem sed in animal brutum aut saxum insensibile infundi potuisse virtutem quam prima facie mirabar. Ex diverso autem, si quando filius in patrem, frater in fratrem, uxor in virum, servus in dominum, in benefactorm suum aliquis beneficii oblitus surgat, gratitudine ac pietate calcatis, quis non et doleat et miretur quod malorum tanto maior est numerus quam bonorum? At cum ad rei causam, de qua dixi, et multo maxime ad consuetudinem cotidianam sese animus reflexerit, illico desinet admirari. Quis enim miretur quod in oculis habet semper cuiusque contrarium, quasi numquam videt.

[3] Hunc sensum, mi domine, e tuo breviloquio mei brevitas intellectus elicuit: si rectum hoc est, si tuum, bene quidem: si minus tuum, ex te libenter audiam et tenebo. Te autem hortor atque obsecro, ut, quod magnitudinem ac sapientiam tuam decet, humanum nichil admirans, sed virtute inferiora ducens omnia, speique anchoram in Christo et misericordia sua figens, adversus hos tuum sanguinem tam cupide sitientes vigili animo excubes et intento, sisque ad omnia imperterritus et invictus, nichil metuens, omnia tamen circumspiciens et cavens, nec passim omnibus qui tibi

arrident, sed tuorum probatissime fidei te commitens. Difficilis, fateor, discretio puros animos fucatosque discernere. Sed multo de ingenio tuo fido deque tua rerum experientia in qua nulli cedis. Super omnia autem spero de custodia Cristi, de quo scriptum est: *Si iniquitatem aspexi in corde meo, non exaudiet dominus.* Quod verbum si diligenter excuteretur, hos tibi sine ulla iusta causa perniciem molientes multum terrere debuerat. Sed bene habet: et tu salvus et prima coniurationis cuspis effracta est: tot iam insidiis patefactis, de reliquo et illi segniores ad insidiandum et tu eris instructior ad cavendum et Cristus ipse ab initio custos tuus non te destituet in finem. Si enim in coniuratione pari scribit Valerius vigilasse oculos deorum pro salute Tyberii: et si Marcus Antonius, ille doctissimus principum, in periculo simili uxorem suam Faustinam dum per literas solaretur, ita de mendacibus deis scripsit: *Esto igitur secura: dii me tuentur diis pietas mea cordi est* quid tu de vero deo et dicere potes et sperare? Illi ego, quantuscumque peccator, teque tuamque vitam ac salutem suppliciter recommendo. Optarem preter preces ac vota posse tibi aliquid prestare vel auxilii vel consilii salutaris. Nil libertius unquam feci.

# Liber 15

7

## Ad Lodovicum Marsilium

*Ad fratrem Lodovicum Marsilium, cum libro Confessionum Sancti Augustini.*

[1] Merita de te mea, amice, que multa commemoaras, pace tua dixerim, nulla sunt penitus, nisi quod ab ipsa tua pueritia te dilexi nescioquid iam tunc presagiens, et nunc magis ac magis in dies diligo, cito iam qualem in te cupio virum sperans. Libellum tibi quem poscis libens dono, donaremque libentius si esset qualis erat, dum eum adolescenti michi donavit Dyonisius ille tui ordinis, sacrarum professor egregius literarum et undique vir insignis, indulgentissimus pater meus; sed ego eum et natura forsitan et etate tunc vagus, quod michi periucundus et materia et auctore et parvitate sua pugillaris esset atque ad ferendum habilis, sepe per omnem ferme Italiam ac Gallias Germaniamque circumtuli, ita ut iam prope manus mea et liber unum esse viderentur, sic inseparabiles usu perpetuo facti erant. Dicam rem mirabilem: ut sileam lapsus fluminum ac terrarum, semel mecum ad Niceam Vari sub fluctibus maris fuit; actumque erat hauddubie, nisi utrumque presenti periculo Cristus eripuisse. Sic eundo et redeundo mecum senuit, ita ut iam senex a sene sine ingenti difficultate legi nequeat; et nunc tandem ab Augustini domo digressus ad eandem redit, nunc quoque tecum peregrinaturus ut reor. Accipe eum qualis est et boni consule, atque incipe meis in rebus iure tuo uti ac prefationibus supervacuis abstinere, et quicquid tibi placuerit non postulare sed sumere. Vale felix et pro me, quotiens ad mensam eius accesseris, Cristum ora.

## Ad Iohannem de Certaldo

*Ad Iohannem de Certaldo, excusatio silentii.*

[1] Potes mirari, utinam non etiam indignari, quod si aliud tibi scribere vel non poteram vel nolebam, aliquid saltem tuas ad literas non respondi. Ego vero, quod sepe accidit occupatis maxime, dum multa cogito, nichil efficio. Evidet, amice, si occupationum mearum quamvis inanum historiam ingrediar, ipsa michi occupatio occupationem et pariet et augebit. Ad summam, quod sepe conceperam, explicare nunquam potui; at ne quid fortasse aliud suspiceris — quod hoc vetus olimque notissimum tibi sit — addo violentiorem aliam recentioremque silentii causam, quam libentius tacuissem ne aures atque animum tuum invisi rumoris cuspide pungerem nisi quia hoc ipsum te ab aliis audivisse vel auditurum esse non dubito. Tecum igitur a me salus abiit; nunquam postea sanus fui; nunquam, ut auguror, sanus ero: ita morbum etas sanitatem nichil adiuvat; ni forte me putas aut medicos consulere aut plus illis fidei habere quam soleo; ego vero in dies magis magisque monstrum illud horreo arceoque ut hostes a limine nisi quos interdum non medicine sed amicitie ius admitti iubet, ea lege ut omnium que dixerint nichil faciam aut patiar.

[2] Nunc tandem, anno altero, nil eorum que decreveram sed hoc unum scribo. *Apologeticum* tuum quod ira nobili dictante in censores meos effundisti, valde michi placuit, et affectu tuo et stilo et sententiis delectatus sum; et scio illos hec et graviora promeritos. Nolim tamen generosum ingenium pro illorum meritis inardescere:

nec tuo iudicio nec tua iracundia digni sunt. Sine illos suis moribus; tuos ne deseras; neque acrius te illorum pungat amentia quam me qui ea principaliter contingor, quamvis sine te tangi nequeam aut offendи. Proinde tibi persuade, quod primum in literis tuis erat — dixisse Laurentium nescio quem virum, ut tu aīs doctum, sed profecto nature mearumque rerum penitus inscium, me, audita illorum sententia quam de me tulerant, subito in furorem versum calatum arripuisse ac respondisse — pace sit dictum sua, procul a vero esse. Forsitan sic audivit, sed qui primus hoc dixit aut erravit, me Dius Fidius, aut fefellit. Non in furorem sed in risum egit me meorum iudicū sententia; utcunque enim vera illa, iudices ipsi erant ineptissimi. Neque vero statim, sed anno pene elapso, calatum responsurus cepi, cum in Padi alveo ascendens et tedio affectus quid aliud agerem non haberem, neque id ipsum unquam facturus aut cogitaturus nisi me Donati nostri perpes indignatio ac iuges querimonie acuissent. Obdurui, dilecte, contra invidie tales morsus ab adolescentia — quod aliquando non credidi — pestibus his obsessus. Hoc esse verissimum et contrarium falsum scito; reliquum est ut tibi, cui clanculum digresso mestus et querulus mecumque ipse litigans fortassis et lacrimans succensui, salvo gratuler ac reverso.

Vale.

# Liber 16

## 1

### Ad Lucam de Penna

[1] Dabis veniam insignis Vir stylo, ut quibusdam fortasse videbitur irreverenti, sed Deum testor minime insolenti: stylo enim alio uti nescio. Singulariter te alloquor, cum sis unus, et in hoc naturam sequor, ac maiorum morem, non blanditias modernorum, mirorque quod tu, talis Vir, me aliter alloqueris, cum et ego unus sim, utinamque integer, nec in multa vitiorum frusta disceptus. Denique sic Romanum Imperatorem, regesque alios, sic Romanos quoque Pontifices alloqui soleo: si aliter facerem, viderer mihi mentiri. Quid ni autem, cum Iesum Christum ipsum Regem regum, et Dominum dominantium, ut minores alios longe, licet maximos sileam, non aliter alloquamur. Utque iam hic, quod olim cum antiquo feci, novo glorier cum amico, styli huius per Italiam non auctor quidem, sed instaurator ipse mihi videor, quocum uti inciperem, adolescens a coetaneis irridebar, qui in hoc ipso certatim me postea sunt secuti. Nunc incipio: Multos dies in itinere posuit epistola tua hec novissima, siquidem III Nonas Februarias, ad levam Rhodani ripam data, X Calendas Aprilis, sero admodum, prima face, pervenit, in hos colles Euganeos, ubi nunc secus intimum sinum maris Adriatici, senex et infirmus, a iuventute dilectam, solitariam vitam dego, amator ruris, osor urbium. Petieras ex me, ut de libris Ciceronis, si quos inusitatos et extraneos haberem, tibi quoque cuidam nuper cepto operi subvenirem, tua scilicet impensa, quo iustior petitio tua esset, sperans credo, nec immerito, me facie licet incognitum,

honestis precibus haud difficilem fore, seu propter respectum fame  
tue, longe etiam redolentis, seu vel maxime propter illius  
reverentiam, cuius iussu opus illud assumpseras Domini nostri  
Summi Pontificis, qui me dignatione eximia, et piis verbis ac litteris  
suum fecit, quamquam omnes qui Christi sunt, universali debito sui  
sint. Petitioni tamen tue respondi, tunc non quod volui, sed quod  
potui, Ciceronis libros non me alios habere, quam qui communiter  
habentur, et quos idem Dominus noster habet, vel ut puto etiam  
pauciores; unum addidi, quod et verum fuit, habuisse me alios et  
amisisse. Cuius rei longa esset historia, quam tamen pro tempore  
brevem feci. Eas litteras ad te non pervenisse ais, et petis, ut  
replicem, quod scripsi, simul ut rem noris, simul ut litteris meis  
delecteris; quod ut speres tua caritas, et nobilis te cogit opinio.  
Parebit, et quamquam senectuti occupate presertim et invalide, non  
labor tantum, ut tu dicis, sed supplicium sit scribere, scribam tamen.  
De delectatione tu videris, de fatigatione pronuntio. Certe si motum  
animi mei sequar, ego te hodie fatigabo. Ita igitur se res habet.  
Siquidem ab ipsa pueritia, quando ceteri omnes, aut Prospero  
inhiant, aut Esopo, ego libris Ciceronis incubui, seu nature instinctu,  
seu parentis hortatu, qui auctoris illius venerator ingens fuit, facile in  
altum evasurus, nisi occupatio rei familiaris nobile distraxisset  
ingenium, et virum patria pulsum, onustumque familia, curis aliis  
intendere coegisset. Et illa quidem etate nichil intellegere poteram,  
sola me verborum dulcedo quedam et sonoritas detinebat, ut  
quicquid aliud vel legerem, vel audirem, raucum mihi, longeque  
dissonum videretur. Erat hac, fateor, in re, pueri non puerile  
iudicium, si iudicium dici debet, quod nulla ratione subsisteret. Illud  
mirum, nichil intelligentem id sentire, quod tanto post aliquid, licet  
modicum intellegens sentio. Crescebat in dies desiderium meum, et  
patris admiratio ac pietas aliquamdiu immaturo favit studio: et ego  
hac una non segnis in re, cum vix testa effracta, aliquam nuclei

dulcedinem degustarem, nichil unquam de contingentibus intermisi, paratus sponte meum genium fraudare, quo Ciceronis libros undecumque conquerirerem. Sic cepto in studio, nullis externis egens stimulis, procedebam, donec victrix industrie cupiditas, iuris civilis ad studium me detrusit, ut si dis placeret, addiscerem, quid iuris de commodato et mutuo, de testamentis et codicillis, de prediis rusticis et urbanis, et obliviscerer Ciceronem vite leges saluberrimas describentem. In eo studio septennium totum perdidi, dicam verius quam exegi. Utque rem pene ridiculam, flebilemque audias, factum est aliquando, ut nescio quo, sed minime generoso consilio, omnes quos habere potueram Ciceronis, et simul aliquot Poetarum libri, lucrativo velut studio adversi, latibulis, ubi ego, quod mox accidit metuens, illos abdideram, me spectante eruti, quasi heresum libri flammis exurentur. Quo spectaculo non aliter ingemui, quam si ipse iisdem flammis inicerer. Proinde pater, nam memini, me tam mestum contemplatus subito duos libros, pene iam incendio adustos eripuit, et Virgilium dextra tenens, leva Rethoricam Ciceronis, utrumque flenti mihi subridens ipse porrexit. Et habe tibi hunc, inquit, pro solatio quodam raro animi, hunc pro adminiculo civilis studii. His tam paucis, sed tam magnis comitibus, animum solatus, lacrimas pressi. Dehinc circa primos annos adolescentie, mei iuris effectus, libris legalibus abdicatis, ad solita remeavi, eo ferventior, quo interrupta delectatio redit. Post non multum tempus, circa vicesimum secundum etatis annum, dominorum Columnensium nobilissime, sed heu nimium caduce familie, que mihi venerabilis, semper et flenda erit, familiaritatem domesticam nactus eram, sub qua pene totum adolescentie mee tempus et virides annos egi. Cuius mihi auctor fuit vir incomparabilis, Iacobus de Columna, tunc Lomberiensis episcopus, cuius mihi recordatio dulcis pariter et amara est. Non fuit mundus eo dignus, Christus illum sibi voluit, et cito terris ablatum celo reddidit. Et quoniam senex senem fatigavit,

ut scriberet, senem senex refatigabit, ut legat. Ille igitur me diu ante, metas pueritie vix egressum, Bononie viderat, et ut ipse post dicebat, meo delectatus erat aspectu, ignarus adhuc quis aut unde essem, nisi quod scholarem scholaris ex habitu cognoverat. In eo enim studio, quod ego deserui, ut audisti, ipse perseveravit, donec honorificum ad terminum, mox ad episcopium non annis debitum, sed meritis est provectus. Quam ob causam, cum ad eam, que Romana dicitur, curiam profectus, ibi me, infausto illi carceri, ab origine destinatum, revidisset, iam mala prima lanugine vestientem, conditionibus meis exactius exploratis, ad suam tandem presentiam evocavit, qua ut puto nulla unquam dulcior fuit, nulla suavior, nullus illo viro gravior, nullus alacrior, nullus sapientior, nullus melior, nullus aut in prosperis modestior, aut fortior in adversis atque constantior. Non audita mihi, sed visa oculis loquor: iam in eloquentia nullus par, corda hominum habebat in manibus, sive ad clerum, sive ad populum sermo esset; quocumque sibi libuisset animos audientium rapiebat. Iam et in epistolis et in cotidiano colloquio tam clarus, ut cum eum vel legeres, vel audires, cor eius intropiceres, neque ullo opus esset interprete, sic verba conceptibus respondebant. Inerat et in suos sine exemplo caritas, in amicos liberalitas indefessa, inexhausta pietas in pauperes, affabilitas in omnes. Hic vir tantus fuit, ut Flacci verbo utar, ad unguem factus homo, eaque oris ac morum maiestate, ut inter mille visu solo principem iudicares. Cum me semel atque iterum vidisset, ita me conversationis et eloquentie sue laqueis cepit, ut suprema solus in mei animi arce consideret, unde nec discessit unquam postea nec discedet. Erat tunc forte ad Episcopatum suum in Vasconiam iturus, ac nescius reor adhuc, quod in me iuris haberet, quo iubere poterat, oravit, ut sibi in eo itinere comes esse vellem, seu fide, quam tamne nosse nondum poterat, sed in fronte eam lynceus vir legebat, seu ingenio, seu vulgari delectatus stylo meo, in quo tunc iuveniliter multus eram. Parui atque ivi. O

tempus ravidum, fugax vita, quartus et quadragesimus annus est! Nunquam puto letior estas fuit. Reversus inde me in familiaritatem perduxit Reverendissimi fratris sui Iohannis, supra morem Cardinalium, viri optimi atque innocentissimi, fratrumque omnium, ad extremum magnanimi senis patris Stephani, de quo ut de Carthagine ait Crispus: silere melius puto, quam parum dicere. Quin hoc ipsum parce obsecro, si me solum cogitans dum mihi obsequor, tedio tibi sum: dulcis enim mihi fuit amaritudo, Iacobum Columnensem primum dominum meum, summum adolescentie mee decus, in memoriam meam fando reducere, unde, ut dixi, nunquam certe digreditur, qui, heu, nimium cito me et non dico patris et fratrum, qui omnes pene simul perierte, sed amicorum omnium spem deseruit. Cuius a morte, directe ut de Africano apud Tullium ait Cato, tertius hic et tricesimus annus est. Sed si vel stylus meus aliquid virium haberet, vel fame hominum merita sequerentur, dicerem confidenter, quod ibidem ait idem: Memoriam illius viri omnes excipient anni sequentes. Sed iam satis vulnera mea doloresque refricui. Nunc ad Ciceronem redeo. Itaque iam aliquali fama ingenii, falsa licet, sed multo maximo favore cognitus talium dominorum, varias amicitias per diversa contraxeram, quod essem in loco, ad quem fieret ex omni regione concursus. Abeuntibus demum amicis, et ut fit potentibus, numquid e patria sua vellem, respondebam: nichil preter libros Ciceronis. Ante alias dabam memorialia, scriptoque et verbis instabam. Et quotiens putas preces, quotiens pecuniam misi, non per Italiam modo, ubi eram notior, sed per Gallias atque Germaniam, et usque ad Hispanias atque Britanniam? Dicam quod mireris, et in Greciam misi, et unde Ciceronem exspectabam, habui Homerum, quique Grecus ad me venit, mea ope et impensa factus est Latinus, et nunc inter Latinos volens mecum habitat. Et quid tibi vis,

Labor omnia vincit improbus:

inquit Maro.

[2] Multo studio, multaque cura, multa undique parva volumina recollegi, sed sepe multiplicata, eorum vero, que maxime optabam, raro aliquid, ita ut, quod humanis in rebus crebro accidit, multa mihi deforent, multa superfluerent. Nondum sane sanctorum libros attigeram, et errore cecus et typo tumidus etatis. Nil mihi fere, nisi unus Cicero sapiebat, precipue ex quo Quintiliani Institutiones Oratorias legi, quarum quodam loco, hec plane sententia sua est (nam et liber abest, et verba non teneo): Bene de se speret, quisquis erit, cui valde Cicero placebit; et hoc in eo libro dicit, in quo de eloquentia, deque oratoribus agens libero iudicio, summi viri Annei Senece, tunc placentem omnibus, stylum damnat. Quo dicto magis, ac magis in sententia tanto a stipulatore firmatus, si quando visendi desiderio, quod tunc sepe faciebam, in longinqua proficiscerer, visis forte eminus Monasteriis veteribus, divertebam illico. Et quid scimus, inquam, an hic aliquid eorum sit que cupio? Circa quintum et vicesimum annum inter Belgas Helvetiosque festinans, cum Leodium pervenissem, auditio quod esset ibi bona copia librorum, substi*ti* comitesque detinui, donec unam Ciceronis orationem manu amici, alteram mea manu scripsi, quam postea per Italiam effudi. Et ut rideas, in tam bona civitate barbarica atramenti aliquid, et id croco simillimum reperire magnus labor fuit. Et de libris quidem Rei publice iam desperans, librum de Consolatione quesivi anxie, nec inveni. Quesivi et librum de Laude Philosophie, quod et ipse libri titulus excitabat, et in libris Augustini, quos iam legere ceperam, librum illum ad vite mutationem et ad studium veri multum profuisse compereram. Sic undique dignus videbatur, qui diligentissime quereretur. Enimvero hic negotio nichil esse credidi, statim enim affuit, non liber, sed falsa libri ipsius inscriptio, quod sciens narro, ne quando tibi, quod non impossibile arbitror, idem qui mihi illusit error obrepatur. Legebam, neque aliquid de eo, quod titulus

pollicebatur, inveniebam, stupebamque et tarditati mee alienum errorem imputabam. Demum cum legendo, cuius insatiabilem me natura fecit, in libros Augustini de Trinitate, divinum opus, incidissem, inveni allegatum ibi librum, non quidem quem habebam, sed quem habere credebam, et aliquid ibi de eo libro positum, quo nichil est dulcius. Dirigi, et oblationem ratus experientie, die quodam fervidus, librum legi totum intentissime. Eius certe, quod apud Augustinum erat, penitus nichil inveni: puduit errasse tam diu, et remansi certus, librum illum non esse de Laude Philosophie, sed quisnam esset incertus, esse autem Ciceronis stylus iudicio erat. Fuit enim celestis viri illius eloquentia, imitabilis nulli. Post hec vero cum ultimo Neapolim venisse, Barbatus meus Sulmonensis, amicus optimus et tibi forsan saltem nomine cognitus, voti mei conscientius, parvum Ciceronis librum mihi donavit, cuius in fine principium solum erat, libri Academicorum: quod ego perlegens conferensque cum illis, qui inscribuntur de Laude Philosophie, luce clarior, deprendi illos esse duos, tot enim sunt, tertium et quartum, vel secundum et tertium Academicorum, subtile opus magis, quam necessarium aut utile. Sic longevo errore liberatus sum. Obtulerat casus mihi iam antea venerabilem quandam senem, cuius nomen, ut reor, adhuc in curia notum est: Raymundum Superantium, ad quem, ante hos quadraginta annos scripta iuvenilis mea quedam nunc etiam exstat epistola. Ille copiosissimus librorum fuit, et ut Iurisconsultus, in qua facultate pollebat, alia quidem cuncta despiciens preter unum Titum Livium, quo mirum in modum delectabatur, sed historie insuetum, magnum licet ingenium herebat. In eo studio me sibi utilem, ut dicebat, expertus, tanto amore complexus est, ut patrem potius crederes, quam amicum. Ille mihi et commodando libros, et donando supra communem modum facilis fuit. Ab hoc habui et Varronis et Ciceronis aliqua. Cuius unum volumen de communibus fuit, sed inter ipsa communia libri de Oratore, ac de Legibus

imperfecti, ut semper inveniuntur, et preterea libri singulares duo, de Gloria: quibus visis, me ditissimum extimavi. Longum est exsequi, quos et qualiter et unde quesierim preter unum volumen elegantissimum, cui par aliud invenire difficile, paternas inter res inventum, quod in deliciis pater habuerat, quodque non ideo evasit, quia illud mihi executores testamentarii salvum vellent, sed quia circa predam pretiosioris, ut putabant patrimonii occupati, seu vile neglexerant. In his omnibus novi nichil ut dixi preter illos de Gloria libros duos et aliquot orationes aut epistolas. Sed ego ne fortune frustra obniterer, ut viator sitiens inopi rivulo, quibus poteram communibus me solabar. At nonne ego sat mirus sum, mirandique materiam tibi do, qui rogatus historiam unam narro alteram? Postulas ut qualiter libros amiserim, dicam, ego qualiter quesierim dico, ut cognito quantus fuerit querendi labor, quantus fuit perdendi dolor intellegas. Nunc quod petis expediam. Fuit mihi pene ab infantia magister, qui me primas litteras doceret, sub hoc postea Grammaticam et Rheticam audivi, utriusque enim professor ac preceptor fuit. Cui parem ego non novi, quo ad theoricam loquor, quod ad practicam attinet, non ita prorsus, Horatiane cotis in morem, que ferrum novit acuere, non secare. Hic sexaginta totos (ut fama erat) annos scholas rexit, et quot scholares tanto in tempore vir famosus habuerit, cogitari facilius, quam dici potest. In quibus magni viri multi et scientia et statu, et legum scilicet professores et sacrarum magistri litterarum, et preterea episcopi et abbates, ad ultimum cardinalis unus, cui ego puer patris intuitu carus fui, non vir statu maior ac fortuna, cum esset Ostiensis episcopus, quam prudentia et litteris. Et preceptor ille meus, incredibile dictu, inter tot magnos me minimum omnium predilexit. Hoc notum erat omnibus. Nec ipse dissimulabat, unde alme memorie Ioannes de Columna, cuius supra memini, cardinalis, quotiens iocari secum volebat, seniculi enim semplicissimi et grammatici optimi delectabatur

alloquio, ad se venientem ita percunctari solebat: Dic, magister, tot inter discipulos tuos magnos quos, ut scio, diligis, est ne aliquis Francisco nostro locus? Ille confessim lacrimis obortis aut tacebat, aut interdum abscedebat, aut si loqui posset, persancte iurabat, nullum se tantum ex omnibus dilexisse. Hunc talem homunculum Pater meus dum vixit liberaliter satis adiuvit, invaserat enim eum pauperies ac senectus, comites importune ac difficiles. Post obitum patris, omnem in me spem posuerat. Ego autem impar licet, me illi tamen et fide et obsequio obligatum sentiens, aderam omni ope qua poteram, ut deficiente pecunia, quod crebrum erat, egestatem suam apud amicos, nunc fideiussione, nunc precibus apud feneratorem vero pigneribus.

[3] Millies in hunc usum libros et res alias asportavit et rettulit, donec fidem expulit paupertas. Graviore siquidem pressus inopia, duo illa Ciceronis volumina, unum patris, alterum amici, librosque alios me tradente abstulit, pretendens necessarios sibi in opere suo quodam. Quotidie enim libros incohabat mirabilem inscriptionum, et proemio consumato, quod in libro primum, in inventione ultimum esse solet, ad opus aliud phantasiam instabilem transferebat. Quid te ad vesperam verbis traho? Cum inciperet suspecta esse dilatio, quod non egestati sed studio concessi libri erant, cepi altius exquirere, quid de eis actum esset, et ut oppigneratos comperi, penes quem essent indicari petii, ut facultas fierit luendi eos. Ille et pudoris plenus et lacrimarum negavit, se id esse facturum, quod turpe nimis esset sibi, si quod ipse deberet, alter faceret. Expectarem paululum, quod suum erat cito se facturum. Obtuli in hanc rem pecunie quantum vellet, et hoc respuit, orans ne sibi hanc infamiam inurerem. Ego etsi nichil dicto fiderem, nolens tamen quem amabam contristare, subticui. Ipse interim paupertate pulsus in Tusciā ivit, unde sibi erat origo, me tunc ad fontem Sorgie, mea transalpina in solitudine latitante, ut solebam, nec prius eum abiisse quam obiisse cognovi. Oratus a

civibus suis, qui ad sepulturam illum sero quidem laureatum tulerant, ut memorie eius honorificum aliquod epigramma componerem. Nec deinceps alia umquam diligentia vel minimum amissi Ciceronis indicium, nam de aliis non curassem, invenire quivi. Ita simul et libros perdidi et magistrum. Habis en historiam quam petisti, longiusculam fateor, sed dulce mihi fuit et veterum recordari et novo cum amico diu colloqui, quem ignotum et sui ipsius epistole commendant et testimonium viri illius, cui omnia crederem. Sentio autem nunc, quam honestum esset propter additiones et lituras hanc rescribere, sed occupationi ac fatigationi mee tua parcat urbanitas, et quecumque oculos ledunt, ceu totidem signa familiaritatis aspiciat. Vale.

[4] Arquade. V. Kal. Maias.

## Liber 17

### 1

#### Ad Iohannem de Certaldo

*Ad Iohannem de Certaldo.*

[1] Ad literas tuas respondere decreveram. Continebant enim utiles licet amicabilesque sententias, vehementer tamen a meis sensibus abhorrentes. Incidit michi interim voluntas de re alia non parvam tibi epystulam scribendi, quam cum lituris obsitam rescribere pararem, amicus quidam, pene iugiter egrotantem miseratus, hunc michi abstulit laborem. Illo autem scribente cogitare cepi: «Quid nunc dicturus est Iohannes meus? "Homo iste dictat supervacua et ad

necessaria non respondet"». Tunc impetu magis quam iudicio, abiectum calatum resumpsi et scripsi epystulam tibi alteram eiusdem pene magnitudinis, in qua tue respondeo. Ambas autem prope duos menses ex quo scripte erant, nuntio non occurrente, detinui; nunc tandem cum hac parva magne ille due veniunt, aperte ille quidem, quo scilicet aperiendi labor custodibus passum remittatur. Legant qui volent, modo integras restituant. Scient nichil nos de bellis agere; utinam non plus alii: esset enim pax nobiscum que nunc exulat. Illam ergo alteram manu mea scriptam prius leges, illam alienae manus postea: hunc eis ordinem dedi. Cum ad finem veneris, fessus dices: «Est ne hic amicus meus, eger ille senex occupatus? An nescio quis alias eiusdem nominis, sanus iuvenis otiosus? Ego ipse me, fateor, et pervicaciam meam miror. Vale.

## 2

### **Ad Iohannem de Certaldo**

*Ad Iohannem de Certaldo, de non interruptendo per etatem studio.*

[I] Epystola status tui nuntia ad me venit, eaque in parte animum meum magno quidem non insolito merore complevit: his olim rumoribus plenus sum. Inique fateor tecum agi, in his que fortune bona vulgus vocat, philosophi autem veri nec bonorum appellatione nec precio digna ducunt, etsi levia quedam vite mortalis adminicula non negentur. Doleo equidem et indignor, dicerem fortune siquid illam esse crederem; nunc irasci non audeo si, que letos mestosque nos faciunt, non temere ut communis habet assertio sed Maioris arbitrio eveniunt, qui cum tibi plus multo quam ceteris mortalibus daret, prelatum pene omnibus coevis tuis multis, equavit compensatione iusta forsitan sed molesta, ut nostri temporis Lactantius esses aut Plautus, cui plurimum esset ingenii atque eloquii

nec minus inopie. Si autem, quo es iudicio, acriter tecum rem ipse discutis et quid tibi datum quid negatum extimas, puto, fatebere, omnibus ad libram deductis, quamvis amariuscule non infeliciter te humanis habitum in rebus. Quod ut clare videas, intende animum et cogita, neu te fallas, quot sunt in toto hominum conventu cum quibus non dico pecuniam, non valetudinem, non agellos sed res tuas omnes simul permutasse velles; et si paucissimos aut si nullos invenis, conquiesce ac solare animum, Illi gratias agens qui dat omnibus affluenter nec improperat; sed cum tibi omnia largiri nolle meliora largitus est. In hoc enim fallimur quod, dum virum virtutibus ac literis insignem ceterarum rerum cernimus indigentem, miramur, irascimur, indignamur, idque sibi iniuste querimur accidere, quem maioribus dignum remur. Quod tunc recte diceretur quando ea, quibus ornatus est, a seipso vel ab alio sibi essent, non ab Illo qui non omnia uni dat, sed hoc tibi illud alteri, sicut scriptum est, «dividens singulis prout vult». Satis sit igitur accepisse cariora quamvis negata sint vilia. Illi autem, quisquis erit, caducis opibus glorianti tu, philosophico pyerioque locuplex thesauro, dic fiderter illud Flacci:

Te greges centum siculeque circum  
mugiunt vacce, tibi tollit hinnitum  
apta quadrigis equa, te bis afro  
murice tincte  
vestiunt lane; michi parva rura, et  
spiritum graie tenuem Camene  
Parca non mendax dedit et malignum  
spernere vulgus.

Sepe quidem hunc sermonem cum amicis habui et quid dicere soleam nunc scribo. Si virtutum dives aliquis forte cuiuspiam principis ad obsequium devenisset, et ille eum duriter atque avare

tractaret ac diceret: «Sufficient tibi virtutes tue, de aliis sine me boni huius inopiam patientibus subvenire», posset his vir talis iure optimo respondere: «Siquid est virtutis, non a te illud accepi. Tu ergo, si iustitia uti vis, debes nudum in me meritum intueri et qualem invenis extimare, ut par premium sit virtuti, neque michi in solutum dare, quod non tui sed celestis est muneris meque non exprobratione sed benivolentia dignum facit». Hoc omnium Domino dici nequit qui virtutes corpusque et animam ipsam dedit. Ille quidem amplius petenti iure suo potest dicere: «Sile sorte tua contentus ac desine cuncta concupiscere»; suasque dotes quantaslibet alleganti apostolicum illud obicere: «quid habes quod non accepisti?», simulque quod sequitur: «si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?». Et hec quidem hactenus, pauca de multis, que tibi ita nota sunt omnia ut vix ulli hominum notiora; e quibus omnibus unum illud efficio, non posse iuste virtuosum virum de inopia temporalium rerum queri.

[2] Venio hinc ad alteram epystole tue partem, que de me erat. Dixi equidem olim sepe et totiens inculcare unam eandemque rem piget: ac si, ut litere tue sonant, leta michi et opulenta sors esset, nunquam profecto tam tenuis tua esset. Hoc, velim tibi in animun demittas, nichil est verius. Muta igitur epytheta: pro opulenta mediocrem, pro leta non anxiam si dixeris vero propius accesseris. Qualiscunque sit tamen, hoc totiens dictum nec iam amplius repetendum scito: quod, si unicus michi esset panis, equis portionibus dividendus veniet inter nos. Qui si Paulo et Antonio famosissimis olim heremicolis satis fuit, cur non nobis etiam satis sit? Non sumus paris meriti; panis tamen ille conditus mutua caritate et, quamvis non corvi rostro, ab eodem tamen Domino missus erit. Si preterea lectulus unicus nostro esset in thalamo, largiter sic unanimis duos exciperet, somni curarumque fidus arbiter nostrarum. Sed et panes et lectuli plures erunt, nilque omnino nobis deerit, una modo non desit equanimitas.

[3] Nunc ad id transeo, cuius partem me neveris implesse miraculo. Scribis te egritudines meas multiplices egre ferre. Scio neque hoc miror. Neuter nostrum egrotante altero plane sanus esse potest. Addis credere te id michi etatis iam vitio provenire quod, ut Comico placet, «senectus ipsa morbus est». Neque hic rursus aliquid est quod mirer, neque sententiam hanc respuo, unum modo illi additum sit: esse senectutem morbum corporis, animi sanitatem. Quid autem? an perverti forsan ista maluerim, ut cum sanitate corporis sit animi egritudo? Absit hoc ab anima mea: ut in corpore, sic in toto homine opto et gaudeo illam partem in primis bene valere que nobilior est. Obicis michi annos meos, quod non posses nisi ego illos tibi dinumerassem; obicis, inquam, et oblitum velut admones; et benefacis. Utile est enim excitare memoriam, his presertim in rebus que libenter effluunt, quales sunt omnes amari cogitatus quos humana mens refugit. Ego autem, crede michi, memini et per singulos dies ipse mecum dico: en gradus unus ad terminum. Evidem de etate mea, in qua senes addendo iuvenes detrahendo variis modis pari vanitate mentiri solitos scimus, tibi ante aliquot annos bona fide verum scripsi, nequid mearum rerum te lateret. Scripsi et per idem tempus communiter ad amicos mee iam tunc indicem senectutis epystolam. Etsi enim dicat Anneus «quosdam invitos senectutem audire et canos et alia, ad que votis pervenitur», idque ego non quibusdam sed pene omnibus evenire consentiam, non tamen hanc etatem plusquam ceteras erubesco. Quid enim magis senuisse me pudeat quam vixisse? cum alterum sine altero diu esse non possit. Optarem plane, si daretur, non iunior quidem esse sed inter actus honestiores ac studia senuisse; neque gravius quicquam fero quam tanto in tempore nondum quo debuerim pervenisce. Ideo adhuc nitor, siquo modo forsan ad vesperam diurnam desidiam reparare contingeret et sepe michi per animum recursat seu cesareum illud sapientissimi principis Augusti: «Sat

celeriter fieri quicquid fiat satis bene»; seu illud philosophicum doctissimi Platonis: «Beatum cui etiam in senectute contigerit ut sapientiam verasque opiniones assequi possit»; seu denique catholicum illud sacratissimi patris Ambrosii: «Beatus plane qui vel in senectute surrexit ab errore, beatus qui vel sub ictu mortis animum avertit a vitiis». His horumque similibus expergiscor, ut favente deo emendem — sero licet — in me, non solum quod vite defuerit, sed etiam quod scripture; quam ab initio neglexisse videri poterat fortasse consilium, nunc quid nisi senilis torpor et ignavia videretur?

[4] Qua in parte consilium, fateor, illud tuum est, quod vehementer me mirari et dixi et dico. Quis enim ex ore vigilantissimi viri somni consilium et inertie non miretur? Relege oro et examina quod scripsisti. Ipse iudex contra consilium tuum sede et, si audes, illud absolve, quo me scilicet pro remedio senectutis ad multum senectute qualibet peiorem segnitiem cohortaris. Idque quo facilius persuadeas, magnum nescioquid me conaris efficere ut, qui satis sicut vivendo sic proficiendo ac discendo processerim, iam subsistam. Michi vero «mens longe alia est», ut ait ille, diversumque propositum: gressum ingeminare et nunc maxime, velut amissa parte lucis, sub occasum solis ad exitum. Quid tu autem consulis amico quod tibi ipse non consulis? Non est mos hic fidelium consultorum. Inque hoc ingenio uteris atque arte mirabili. Dicis enim me iam scriptis meis late cognitum, qui utinam bene cognitus ac probatus vicinie mee essem. Addis quod, nisi me multum amares et nisi te penitus alterum me novissem, falli crederem et illudi — nunc non me abs et sed te ab amore falli sentio qui multos doctissimos iam fefellit — dicis autem me et orienti notum et occasui; his et Mediterranei maris omnia litora et, quod ridiculum omne trascendit, Yperboreos addis et Ethiopes. Mirum valde si persuaderi tibi hoc potuit tali viro, mirabilius si persuaderi michi

posse credidisti; nisi eo modo forsitan quo, in una eademque domo quamvis exigua omnes quattuor mundi partes designari possunt: auster et boreas, ortus et occidens. Vixque vel sic domi mee ad plenum notus esse crediderim, nec scio an quisquam sit hodie in terris, qui angustiores sibi de se fingat opiniones. Tu amice cur fallere, cur ut dicam proprie me infatuare atque inflare velis? Miror, nisi alter te fefellit ut dixi; quod ipsum supra fidem mirer, cum nulli quam tibi notior semper esse putaverim; et tamen omnia opinari malim quam de tanta fide fictum aliquid suspicari. Ceterum ut longiuscule, imo ut longissime, utque rudis homuncio ibi etiam notus sim quo «estate Marci Tulli», ut ait Severinus, «nondum romane reipublice fama transcenderat» (ubi inadvertentiam tanti viri solitum fateor me mirari; non de sua enim sed de Scipionis Africani estate Tullius agebat ubi hoc ait); sed esto, quocunque libet meum nomen pervenisse tibi fingito, sicut ego doctissimos patres vidi de filiis, quibus nec scientia nec spes scientie ulla erat, mirabilia somniantes: an tu tamen id studii mei frenum crederes? calcar esset: quo prosperiorem exitum laborum cernerem, eo acrius incumberem meque, quo sum animo, successus non segnem redderet sed sollicitum et ardentem. Tu vero quasi terre finibus non contentus, me super ethera etiam notum dicis: Enee laus ac Iulii. Illic quidem hauddubie notus sum; utinam et dilectus!

[5] Illud plane preconium quod michi tribuis non recuso: ad hec nostra studia, multis neglecta seculis, multorum me ingenia per Italiam excitasse et fortasse longius Italia; sum enim fere omnium senior, qui nunc apud nos his in studiis elaborant. At quod hinc elicis non admitto, ut cedens ingeniis iuniorum suscepti laboris impetum interrumpam permittamque alios aliquid scribere si velint, ne unus scribere omnia voluisse videar. O quantum nostre invicem differunt sententie, cum voluntas amborum una sit! Tibi ego omnia seu longe plurima, michi vero nil penitus videor scripsisse. Sed ut multa

scripserim et ut multa scribam, quonam melius modo possim sequentium animos ad perseverantiam exhortari? Sepe validius excitant exempla quam verba. Certe probatissimus dux Camillus, senex bella iuveniliter obeundo, multo magis ad virtutem iuvenes accendebat, quam si illis in acie relictis, edicto quid agendum esset, in cubiculum concessisset. Quod autem solicitus videris ne, scribente me omnia, scribere aliquid aliis non vacet, tale est qualis metus ille ridiculus Alexandri Macedonis, qui timere solitus fertur ne, vincendo omnia, Philippus pater omnem sibi spem bellice laudis eriperet: insanus adolescens, qui nesciret quanta sibi nunc etiam bella, si viveret, domito licet oriente, restarent, nec Papirium forsitan Cursorem et Martios duces nosset. Sed hunc nobis metum abstulit Anneus Seneca quadam ad Lucilium epystola. «Multum» inquit «adhuc restat operis multumque restabit; nec ulli nato post mille secula precidetur occasio aliquid adhuc adiciendi». Tu amice, mira rerum perplexitate, hinc me niteris a progressu ceptorum operum pervenienti desperatione, illinc parte glorie ostentatione divertere; et postquam dixisti mundum me scriptis implesse, «putas ne precor», inquis «Origenis aut Augustini equare volumina numero?». Evidem Augustinum equari a nemine posse reor; quis nunc enim illum equet, quem evo illo ingeniorum feracissimo, me iudice, nullus equaverit? Nimis magnus undique vir fuit, nimis inaccessible. Quod ad Originem attinet — non tam numerare solitum quam extimare me noveris — pauculos libellos incorruptos scripsisse maluerim quam libros innumeros, in quibus magni, si vera est fama, et intolerabiles sint errores. Utrunque horum equare tu michi dicis impossibile, fateorque, quanquam diversa ratio sit amborum. Contra te ipsum tamen, qui me ad otium stilo impellis, quasi aliud nescioquid cogitans, laboriosissimos quosdam senes profers: Socratem Sophoclemque et, e nostris, Censorium Catonem et quot posses alios, sed vix diu quisquam sciens contra se loquitur. Hic tu

tamen et consilii tui et mee imbecillitatis excusationes hinc inde conquirens, dicis diversam fortassis illorum fuisse et meam esse complexionem. Cui quidem haud coactus assentiar; quamvis et mea complexio interdum validissima visa sit his qui talium notitiam profitentur; sed validior est senectus.

[6] Huc etiam illud effers: bonas me partes temporum sub obsequio principum perdidisse. Hic, ne erres, verum accipe. Nomine ego cum principibus fui, re autem principes mecum fuerunt. Nunquam me illorum consilia et perraro convivia tenuerunt. Nulla michi unquam conditio probaretur, que me vel modicum a libertate et a studiis meis averteret. Itaque cum palatium omnes, ego vel nemus petebam vel inter libros in thalamo quiescebam. Si dicam «nullum diem perdidii», falsum dicam; multos perdidii — utinam non omnes! — vel inertia quadam, vel morbis corporis, vel angoribus animi quos prorsus evadere nullo contigit ingenio. Quid iussu principum perdiderim iam audies, nam et michi cum Seneca ratio constat impense: semel Venetas pro negotio pacis missus inter urbem illam et Ianuam reformande, hibernum in hoc mensem integrum exegi; inde ad romanum principem, in extrema barbarie heu collapsi spes imperii refoventem, dicam rectius deserentem, pro ligustica pace tres estivos menses; denique ad gratulandum Iohanni Francorum regi, britannico tunc carcere liberato, alias tres hibernos. Etsi enim in his tribus itineribus assidue solitis curis animum exercerem, quia tamen nec scribere erat nec affigere cogitata memorie, perditos dies voco; quamvis in ultimo, dum Italiam repeto, ad Petrum Pictavensem studiosum senem epystolam ingentem dictavi de mutatione fortune, que sero rediens defunctum illum repperit. Ecce ergo: menses septem sub obsequio principum amisi: iactura ingens, non inficiar, in tam brevi vita; utinam tamen non fuisset ingentior quam michi adolescentie mee vanitas et occupationes supervacue peperere!

[7] Addis ad hec forte aliam nobis esse quam veteribus fuerit vivendi metam, fierique posse ut, qui hodie senes sunt, tunc iuvenes dicerentur. Hic quid aliud dicam, nisi quod cuidam nuper iurisconsulto huius Studii, quem cum ad deprimendam veterum industriam et excusandam ignaviam modernorum hoc in scolis dicere solitum accepisse, mandavi sibi per unum e discipulis suis, ne id amplius diceret ne inter doctos ipse indoctor haberetur? A duobus et eo amplius annorum milibus circa humane vite spatium nulla mutatio facta est. Tres et sexaginta annos vixit Aristotiles, totidem Cicero, victurus amplius si impio atque ebrio placuisset Antonio; et quam multa iampridem de sue calamitosa ac precipiti senectute tractaverat, librumque *De senectute* conscripserset, quo cum amico communiter uteretur! Septuaginta vixit Ennius, totidem Horatius Flaccus, duos et quinquaginta Virgilius, nostra etiam etate breve tempus. At Plato unum et octuaginta; idque pro monstro habitum fertur, ut, propterea quod perfectissimam explesset etatem quasi qui supra hominem esset, sacrificatum ei constet a magis, cum passim hodie nostris in urbibus hec etatum spatia videamus, et octogenarii et nonagenarii occurant, nec miretur quisquam nec sacrificet. Si tu hoc loco michi vel Varronem obicias vel Catonem aliosque qui ad centesimum pervenerunt annum, vel Gorgiam Leontinum qui hos magno spatio supergressus est, ego illis quos opponam habeo. Sed quoniam obscura sunt nomina, unum pro multis obiciam: Romualdum ravennatem clarissimum heremitam, qui nuper inter maximos labores, quos sibi pepererat amor Cristi, in vigiliis ac iejuniis multis, a quibus, quod in te est, me nunc tu consilio tuo abstrahis, centum et viginti vite annos habuit. Quem articulum idcirco scrupulosius digesserim ne — preter illos primos patres qui ab exordio rerum fuisse memorantur et quibus, ut ego extimo, nullum penitus commercium literarum fuit — maiores alios nostros nobis vivaciores aut credas aut predices: plus illis fuit industrie, non

plus vite, nisi quia vita sine industria non vita sed segnis et inutilis mora est. Quanquam tu perplexitatem hanc caute paucissimis verbis evaseris, dicens, ut etatis nulla sit questio, esse posse complexionis et forte aeris aut ciborum: vel his denique vel aliis ex causis non posse me quod poterant illi. Et plane consentio, fateorque sic esse; sed non eque confiteor quod hinc infers, ad quod operosis accingeris argumentis, que tamen aliqua ex parte his ipsis adversa videantur. Dicis enim et consulis ut satis michi sit — tuis ad literam utor verbis — carmine forsan equasse Virgilium, soluto Tullium stilo; quod o si veritate inductus et non amore seductus assereres! Addis me ex senatusconsulto more maiorum splendidissimum titulum et romane lauree rarum decus ademptum. Que eo pergunta ut, felici studiorum fructu auctus et equatus maximis et insigni laborum premio honestatus, Deo et hominibus importunus esse iam desinam, parto contentus et voti compos egregii. Cui plane nil defuerit, modo quod tibi persuasit amor aut verum aut saltem omnibus persuasum sit: ultro alienis testimoniiis acquiescam et, qui mos est publicus, de me aliis credam. Sed diversum aliis videtur; ante omnes michi, qui profecto neminem equasse me arbitror nisi vulgus, cui multo malim semper ignotus esse quam similis. Laurea autem illa michi immaturo evi fateor atque animi, immaturis quidem texta frondibus, obtigit; quam si fuisse maturior non optassem. Amant enim ut senes utilia, sic iuvenes speciosa, nec respiciunt finem. Et quid putas? Nil prorsus scientie, nil eloquentie illa michi, invidie autem infinitum attulit et quietem abstulit; sic inanis glorie et iuvenilis audacie penas dedi. Ex illo enim ferme omnes in me linguas et calamos acuere, semper signis erectis in acie standum fuit, semper nunc ad dexteram nunc ad levam insultantibus obsistendum. Ex amicis hostes michi fecit invidia: possem multa hic que te in admirationem agerent memorare. Ad summam hoc michi mea laurea prestitit ut noscerer

ac vexarer; sine qua, quod optimum vite genus quidam putant, et quiescere poteram et latere.

[8] Suprema michi tue ratiocinationis arx videtur, ut quanto diutius possim vivere studeam ad gaudium amicorum tueque in primis solatium senectutis; quia, ut ais, me tibi superstitem cupis. Heu michi, hoc et Simonides noster optaverat, heu iterum, voto nimium efficaci, cum ipse michi, si quis humanis ordo foret in rebus, superstes esse debuerit. Optas idem et tu, frater, ante alios et amicorum aliqui: pium votum, voto autem meo prorsus adversum. Opto ego vobis salvis mori, et post me relinquere quorum in memoria et in verbis vivam, quorum precibus adiuver, a quibus amer ac desiderer. Preter enim conscientie puritatem nullum reor solamen hoc gratius morienti. Quod si, ut hoc michi forte suadeas, tua illa facit opinio, qua me valde vite avidum arbitraris, longe falleris. Quomodo ego vivere diu optem inter hos mores, ad quos pervenisse valde doleo, et, ut sileam graviora, hos inter deformatos et obscenos habitus vanissimorum hominum, de quibus et scripto et verbo sepe nimium queror, sed indignationem animi ac dolorem verbis explere non valeo? Qui cum Itali dicantur et in Italia nati sint, omnia faciunt ut barbari videantur; essentque utinam barbari, ut meos et verorum oculos Italorum tam turpi spectaculo liberarent! Deus eos omnipotens ac vivos ac mortuos male perdat, quibus non est satis maiorum virtutes ac gloriam et belli pacisque artes omnes per ignaviam amisisse, nisi sermonem atque habitum patrium per amentiam dehonestent, ut non tantum patres nostros, qui tempestive hinc abierunt, sed cecos quoque felices iudicem qui ista non vident.

[9] Ultimum rogas ut tibi ignoscam, qui michi consulere vivendique modum prescribere ausus sis: ut scilicet intentione animi vigiliisque et laboribus consuetis abstineam et etatem fessam annis simul ac studiis pingui otio ac sopore refoveam. Ego autem non ignosco, sed tibi gratias ago, tui conscius amoris qui te, quod in tuis non es, meis

in rebus medicum faciat. Tu potius michi ut parcas queso, qui tibi non paream, et sic tibi persuadeas me, etsi cupidissimus vite essem, quod non sum, tamen si consilio tuo stem aliquanto citius peritrum. Labor iugis et intentio pabulum animi mei sunt: cum quiescere cepero atque lentescere, mox et vivere desinam. Nosco ipse vires meas: non sum ydoneus ad reliquos labores, ut soleo. Legere hoc meum et scribere, quod laxari iubes, levis est labor, imo dulcis est requies, que laborum gravium parit oblivionem. Nulla calamo agilior est sarcina, nulla iucundior; voluptates alie fugiunt et mulcendo ledunt; calamus et in manus sumptus mulcet, et depositus delectat, ac prodest non domino suo tantum sed aliis multis sepe etiam absentibus, nonnunquam et posteris post annorum milia. Verissime michi videor dicturus: omnium terrestrium delectationum ut nulla literis honestior, sic nulla diuturnior, nulla suavior, nulla fidelior, nulla que per omnes casus possessorem suum tam facili apparatu, tam nullo fastidio comitetur. Parce igitur, frater, parce: tibi omnia crediturus, hoc non credam. Quemcunque me feceris — nichil est enim quod non possit docti disertique viri stilus — michi tamen enitendum est, si sum nichil ut sim aliquid, si sim aliquid ut sim plusculum, et si essem magnus — quod utique non sum — ut qua datum esset fierem maior ac maximus. An non michi liceret Maximini illius immanis et barbari verbum usurpare? Cui cum suaderetur ut iam satis magnus nimio parceret labori, «Ego vero» inquit «quo maior fuero eo plus laborabo». Dignum verbum quod non a barbaro diceretur! Hoc michi igitur fixum est; quamque sim procul ab inertibus consiliis, sequens ad te epystola erit indicio. Non contentus enim ceptis ingentibus, ad que brevis hec vita non sufficit, nec si esset duplicata sufficeret, novos quotidie et externos aucupor labores: tantum somni et languide odium est quietis. An tu vero forsitan non ecclesiasticum illum audisti: «Cum consumaverit homo tunc incipiet, et cum quieverit tunc operabitur»? Equidem nunc

cepisse michi videor; quicquid tibi, quicquid aliis videar, hoc de me iudicium meum est. Si hec inter vite finis adveniat, qui certe iam longinquus esse non potest, optarem — fateor — me, quod aiunt, vita peracta viventem inveniret. Id quia ut sunt res non spero, opto ut legentem aut sribentem vel, si Christo placuerit, orantem ac plorantem mors inveniat. Tu vale, mei memor, et vive feliciter ac viriliter persevera.

Patavi, IIII Kal. Maias ad vesperam.

### 3

## Ad Iohannem Boccacium

[I] Librum tuum, quem nostro materno eloquio ut opinor olim iuvenis edidisti, nescio quidem unde vel qualiter, ad me delatum vidi. Nam si dicam legi, mentiar, siquidem ipse magnus valde, ut ad vulgus et soluta scriptus oratione, et occupatio mea maior, et tempus angustum erat; idque ipsum, ut nosti, bellicis undique motibus inquietum, a quibus et si animo procul absim, nequeo tamen fluctuante Republica non moveri. Quid ergo? Excucurri eum, et festini viatoris in morem, hinc atque hinc circumspiciens nec subsistens. Animadverti alicubi librum ipsum canum dentibus laccessitum, tuo tamen baculo egregie tuaque voce defensum. Nec miratus sum. Nam et vires ingenii tui novi, et scio expertus esse hominum genus et insolens et ignavum, qui quicquid ipsi vel nolunt vel nesciunt vel non possunt, in aliis reprehendant, ad hoc unum docti et arguti, sed elingues ad reliqua. Delectatus sum in ipso transitu, et si quid lascivie liberioris occurreret, excusabat etas tunc tua, dum id scriberes, stilus, idioma, ipsa quoque rerum levitas et eorum qui lecturi talia videbantur. Refert enim largiter, quibus scribas, morumque varietate stili varietas excusatur. Inter multa sane

iocosa et lenia, quedam pia et gravia deprehendi, de quibus tamen diffinitive, quid iudicem, non habeo, ut qui nusquam totus inheserim: at quod vere accidit eo more currentibus, curiosius aliquanto quam cetera libri principium finemque perspexi; quorum in altero patrie nostre statum, illius scilicet pestilentissimi temporis, quod pre omnibus nostra etas lugubre ac miserum mundo vidi, meo quidem iudicio, et narrasti proprio et magnifice deplorasti. In altero autem historiam ultimam et multis precedentium longe dissimilem posuisti, que ita michi placuit meque detinuit, ut inter tot curas, que pene mei ipsius immemorem fecere, illam memorie mandare voluerim, ut et ipse eam animo, quotiens vellem, non sine voluptate repeterem, et amicis ut sit confabulantibus renarrarem, si quando aliquid tale incidisset. Quod cum brevi postmodum fecissem gratiamque audientibus cognovissem, subito talis interloquendum cogitatio supervenit fieri posse, ut nostri etiam sermonis ignaros tam dulcis historia delectaret, cum et michi semper ante multos annos audita placuisse, et tibi usque adeo placuisse perpenderem, ut vulgari eam stilo tuo censueris non indignam et fine operis, ubi Rhetorum disciplina validiora quelibet collocari iubet. Itaque die quodam, inter varios cogitatus, animum more solito discerpentes et illis et michi ut sic dixerim iratus, vale omnibus ad tempus dicto, calatum arripiens, historiam ipsam tuam scribere sum aggressus, te haud dubie gavisurum sperans, ultiro rerum interpretem me tuarum fore. Quod non facile alteri cuicunque prestiterim, egit me tui amor et historie: ita tamen, ne Horatianum illud poetice artis obliviscerer:

Nec verbum verbo curabis reddere fidus

Interpres:

Historiam tuam meis verbis explicui, imo alicubi aut paucis in ipsa narratione mutatis verbis aut additis, quod te non ferente modo sed favente fieri credidi. Que licet a multis et laudata et expetita fuerit, ego rem tuam tibi non alteri dedicandam censui. Quam quidem an

mutata veste deformaverim an fortassis ornaverim, tu iudica; illuc enim orta illuc redit, notus iudex, nota domus, notum iter, ut unum et tu noris, et quisquis hec leget, tibi non michi tuarum rationem rerum esse reddendam. Quisquis ex me queret, an hec vera sint, hoc est an historiam scripserim an fabulam, respondebo illud Crispi: Fides penes auctorem, meum scilicet Iohannem, sit. Hec prefatus incipio.

[2] *DE INSIGNI OBEDIENTIA ET FIDE UXORIA.*

[3] Est ad Italie latus occiduum Vesullus ex Apenini iugis mons unus altissimus, qui, vertice nubila superans, liquido sese ingerit etheri, mons suapte nobilis natura, Padi ortu nobilissimus, qui eius e latere fonte lapsus exiguo, orientem contra solem fertur, mirisque mox tumidus incrementis brevi spatio decurso, non tantum maximorum unus amnium sed fluviorum a Virgilio rex dictus, Liguriam gurgite violentus intersecat; dehinc Emiliam atque Flaminiam Venetiamque disternans multis ad ultimum et ingentibus hostiis in Adriacum mare descendit. Ceterum pars illa terrarum de qua primum dixi, que et grata planicie et interiectis collibus ac montibus circumflexis, aprica pariter ac iocunda est, atque ab eorum quibus subiacet pede montium nomen tenet, et civitates aliquot et opida habet egregia. Inter cetera, ad radicem Vesulli, terra Salutarum vicis et castellis satis frequens, marchionum arbitrio nobilium quorundam regitur virorum, quorum unus primusque omnium et maximus fuisse traditur Valterius quidam, ad quem familie ac terrarum omnium regimen pertineret; et hic quidem forma virens atque etate, nec minus moribus quam sanguine nobilis, et ad summam omni ex parte vir insignis, nisi quod presenti sua sorte contentus, incuriosissimus futurorum erat. Itaque venatui aucupioque deditus, sic illis incubuerat ut alia pene cunta negligeret; quodque in primis egre populi ferebant, ab ipsis quoque coniugii consiliis abhorreret. Id aliquandiu taciti cum tulissent, tandem catervatim illum adeunt

quorum unus cui vel autoritas maior erat vel facundia maiorque cum suo duce familiaritas, «Tua» inquit «humanitas, optime marchio, hanc nobis prestat audaciam, ut et tecum singuli quotiens res exposcit devota fidutia colloquamur, et nunc omnium tacitas voluntates mea vox tuis auribus invehat, non quod singulare aliquid habeam ad hanc rem, nisi quod tu me inter alios carum tibi multis indicis comprobasti. Cum merito igitur tua nobis omnia placeant, semperque placuerint, ut felices nos tali domino iudicemus. Unum est, quod si a te impetrari sinis teque nobis exorabilem prebes, plane felicissimi finitimorum omnium futuri simus: ut coniugio scilicet animum applices, collumque non liberum modo sed imperiosum legitimo subicias iugo, idque quam primum facias. Volant enim dies rapidi, et quanquam florida sis etate, continue tamen hunc florem tacita senectus insequitur, morsque ipsa omni proxima est etati. Nulli muneris huius immunitas datur, eque omnibus moriendum est: utque id certum, sic illud ambiguum quando eveniat. Suscipe igitur, oramus, eorum preces qui nullum tuum imperium recusarent. Querende autem coniugis studium nobis linque, talem enim tibi procurabimus que te merito digna sit, et tam claris orta parentibus ut de ea spes optima sit habenda. Libera tuos omnes molesta solicitudine, quesumus, ne siquid humanitus tibi forsan accideret, tu sine tuo successore abeas, ipsi sine votivo rectore remaneant». Moverunt pie preces animum viri, et «Cogitis» inquit «me, amici, ad id quod michi in animum nunquam venit; delectabar omnimoda libertate, que in coniugio rara est. Ceterum subiectorum michi voluntatibus me sponte subicio, et prudentie vestre fisus et fidei. Illam vobis quam offertis querende curam coniugis remitto, eamque humeris meis ipse subeo. Quid unius enim claritas confert alteri? Sepe filii dissimillimi sunt parentum. Quicquid in homine boni est, non ab alio quam a Deo est. Illi ego et status et matrimonii mei sortes, sperans de sua solita pietate, commiserim; ipse michi inveniet

quod quieti mee sit expediens ac saluti. Itaque quando vobis ita placitum est, uxorem ducam: id vobis bona fide polliceor, vestrumque desiderium nec frustrabor equidem nec morabor. Unum vos michi versa vice promittite ac servate: ut quamcunque coniugem ipse delegero, eam vos summo honore ac veneratione prosequamini, nec sit ullus inter vos qui de meo unquam iudicio aut litiget aut queratur. Vestrum fuerit me omnium quos novissem liberrimum iugo subiecisse coniugii; mea sit iugi ipsius electio; quecunque uxor mea erit, illa, ceu Romani principis filia, domina vestra sit». Promittunt unanimiter ac lete nichil defuturum, ut quibus vix possibile videretur optatum diem cernere nuptiarum, de quibus in diem certum magnificentissime apparandis domini iubentis edictum alacres suscepere. Ita e colloquio discessum est, et ipse nichilominus eam ipsam nuptiarum curam domesticis suis imposuit, edixitque diem.

[4] Fuit haud procul a palatio villula paucorum atque inopum incolarum, quorum uni omnium pauperrimo Ianicole nomen erat; sed ut pauperum quoque tuguria nonnunquam gratia celestis invisit, unica illi nata contigerat Griseldis nomine, forma corporis satis egregia, sed pulcritudine morum atque animi adeo speciosa ut nichil supra. Hec parco victu, in summa semper inopia educata, omnis inscia voluptatis, nil molle nil tenerum cogitare didicerat, sed virilis senilisque animus virgineo latebat in pectore. Patris senium inextimabili refovens caritate, et pauculas eius oves pascebat, et colo interim digitos atterebat; vicissimque domum rediens, oluscula et dapes fortune congruas preparabat, durumque cubiculum sternebat, et ad summam angusto in spatio totum filialis obedientie ac pietatis officium explicabat. In hanc virgunculam Valterius, sepe illac transiens, quandoque oculos non iuvenili lascivia sed senili gravitate defixerat, et virtutem eximiam supra sexum supraque etatem, quam vulgi oculis conditionis obscuritas abscondebat, acri penetrarat

intuitu. Unde effectum ut et uxorem habere, quod nunquam ante voluerat, et simul hanc unam nullamque aliam habere disposeret. Instabat nuptiarum dies; unde autem ventura sponsa esset, nemo noverat, nemo non mirabatur. Ipse interim et anulos aureos et coronas et baltheos conquirebat, vestes autem preciosas et calceos et eius generis necessaria omnia ad mensuram puelle alterius, que stature sue persimilis erat, preparari faciebat. Venerat expectatus dies, et cum nullus sponse rumor audiretur, admiratio omnium vehementer excreverat. Hora iam prandii aderat, iamque apparatu ingenti domus tota fervebat. Tum Valterius, adventanti velut sponse obviam profecturus, domo egreditur, prosequente virorum et matronarum nobilium caterva. Griseldis, omnium que erga se pararentur ignara, peractis que agenda domi erant, aquam e longinquo fonte convectans, paternum limen intrabat, ut, expedita curis aliis, ad visendam domini sui sponsam cum puellis comitibus properaret. Tum Valterius, cogitabundus incedens eamque compellans nomine, ubinam pater eius esset interrogavit; que cum illum domi esse reverenter atque humiliter respondisset, «Iube» inquit «ad me veniat». Venientem seniculum, manu prehensum, parumper abstraxit ac submissa voce, «Scio» ait «me, Ianicola, carum tibi, teque hominem fidum novi, et quecunque michi placeant velle te arbitror. Unum tamen nominatim nosse velim: an me, quem dominum habes, data michi hac tua in uxorem filia, generum velis?» Inopino negotio stupefactus, senex obriguit, et vix tandem paucis hiscens, «Nichil» inquit «aut velle debeo aut nolle, nisi quod placitum tibi sit, qui dominus meus es». «Ingrediamur soli ergo» inquit «ut ipsam de quibusdam interrogem, te presente». Ingressi igitur, expectante populo ac mirante; puellam circa patris obsequium satagentem et insolito tanti hospitis adventu stupidam invenere, quam his verbis Valterius aggreditur: «Et patri tuo placet» inquit «et michi ut uxor mea sis. Credo id ipsum tibi placeat, sed habeo ex te

querere, ubi hoc peractum fuerit quod mox erit, an volenti animo parata sis ut de omnibus tecum michi conveniat, ita ut in nulla unquam re a mea voluntate dissentias et, quicquid tecum agere voluero, sine ulla frontis aut verbi repugnantia te ex animo volente michi liceat». Ad hec illa miraculo rei tremens, «Ego, mi domine» inquit «tanto honore me indignam scio; at si voluntas tua, sique sors mea est, nichil ego unquam sciens, nedum faciam, sed etiam cogitabo, quod contra animum tuum sit; nec tu aliquid facies, etsi me mori iusseris, quod moleste feram». «Satis est» inquit ille; sic in publicum eductam populo ostendens, «Hec» ait «uxor mea, hec domina vestra est; hanc colite, hanc amate, et si me carum habetis, hanc carissimam habetote». Hinc ne quid reliquarum fortune veteris novam inferret in domum, nudari eam iussit, et a calce ad verticem novis vestibus indui, quod a matronis circumstantibus ac certatim sinu illam gremioque foventibus verecunde ac celeriter adimpletum est. Sic horridulam virginem, indutam, laceramque comam recollectam manibus comptamque pro tempore, insignitam gemmis et corona velut subito transformatam, vix populus recognovit; quam Valterius anulo precioso, quem ad hunc usum detulerat, solemniter desponsavit, niveoque equo impositam, ad palatum deduci fecit, comitante populo et gaudente. Ad hunc modum nuptie celebrate, diesque ille letissimus actus est. Brevi dehinc inopi sponse tantum divini favoris affulserat, ut non in casa illa pastoria sed in aula imperatoria educata atque edocta videretur; atque apud omnes supra fidem cara et venerabilis facta esset, vixque his ipsis qui illam ab origine noverant persuaderi posset Ianicole natam esse, tantus erat vite, tantus morum decor, ea verborum gravitas ac dulcedo, quibus omnium animos nexu sibi magni amoris astrinxerat. Iamque non solum intra patrios fines sed per finitimas quasque provincias suum nomen celebri preconio fama vulgabat, ita ut multi ad illam visendam viri ac matrone studio fervente concurrerent. Sic Valterius,

humili quidem sed insigni ac prospero matrimonio honestatus, summa domi in pace, extra vero summa cum gratia hominum, vivebat; quodque eximiam virtutem tanta sub inopia latitatem tam perspicaciter deprehendisset, vulgo prudentissimus habebatur. Neque vero solers sponsa muliebria tantum ac domestica, sed ubi res posceret, publica etiam obibat officia, viro absente, lites patrie nobiliumque discordias dirimens atque componens tam gravibus responsis tantaque maturitate et iudicii equitate, ut omnes ad salutem publicam demissam celo feminam predicarent. Nec multum tempus effluxerat, dum gravida effecta, primum subditos anxia expectatione suspendit; dehinc, filiam enixa pulcerrimam, quamvis filium maluissent, tamen votiva fecunditate non virum modo sed totam patriam letam fecit.

[5] Cepit, ut fit, interim Valterium, cum iam ablactata esset infantula, mirabilis quedam (quam laudabilis doctiores iudicent) cupiditas, sat expertam care fidem coniugis experiendi altius et iterum atque iterum retentandi. Solam igitur in thalamum sevocatam, turbida fronte sic alloquitur: «Nosti, o Griseldis, — neque enim presenti fortuna te preteriti tui status oblitam credo, — nости, inquam, qualiter in hanc domum veneris. Michi quidem cara satis ac dilecta es; at meis nobilibus non ita, presertim ex quo parere incepisti, qui plebeie domine subesse animis ferunt iniquissimis. Michi ergo, qui cum eis pacem cupio, necesse est de filia tua non meo sed alieno iudicio obsequi, et id facere quo nil michi posset esse molestius. Id enim vero te ignara nunquam fecerim; volo autem tuum michi animum accomodes, patientiamque illam prestes quam ab initio nostri coniugii promisisti». His auditis, nec verbo mota, nec vultu, «Tu» inquit «noster es dominus, et ego et hec parva filia tue sumus; de rebus tuis igitur fac ut libet, nichil placere enim tibi potest quod michi displiceat. Nichil penitus vel habere cupio vel amittere metuo, nisi te; hoc ipsa michi in medio cordis affixi, nunquam inde vel lapsu

temporis vel morte vellendum. Omnia prius fieri possunt quam hic animus mutari». Letus ille responso, sed dissimulans visu mestus abscessit, et post paululum unum suorum satellitum fidissimum sibi, cuius opera gravioribus in negotiis uti consueverat, quid agi vellet edoctum, ad uxorem misit, qui ad eam noctu veniens, «Parce» inquit «o domina, neque michi imputes quod coactus facio. Scis, sapientissima, quid est esse sub dominis, neque tali ingenio predite quamvis inexperte dura parendi necessitas est ignota. Iussus sum hanc infantulam accipere, atque eam». Hic sermone abrupto, quasi crudele ministerium silentio exprimens, subticuit. Suspecta viri fama, suspecta facies, suspecta hora, suspecta erat oratio, quibus etsi clare occisum iri dulcem filiam intelligeret, nec lacrimulam tamen ullam nec suspirium dedit, in nutrice quidem, nedum in matre, durissimum. Sed tranquilla fronte puellulam accipiens, aliquantulum respexit, et simul exosculans, benedixit ac signum sanete crucis impressit, porrexitque satelliti et «Vade» ait «quodque tibi dominus noster iniunxit exequere. Unum queso: cura ne corpusculum hoc fere lacerent aut volucres, ita tamen nisi tibi contrarium sit preceptum». Reversus ad dominum, cum quid dictum quid ve responsum esset exposuisset et ei filiam obtulisset, vehementer paterna animum pietas movit; susceptum tamen rigorem propositi non inflexit, iussitque satelliti obvolutam pannis, ciste iniectam, ac iumento impositam quieto, omni quanta posset diligentia Bononiam deferret ad sororem suam, que illic comiti de Panico nupta erat, eamque sibi traderet alendam materno studio, et caris moribus instruendam, tanta preterea occultandam cura, ut cuius esset filia a nemine posset agnosci. Ivit ille illico, et solicite quod impositum ei erat implevit. Valterius interea, sepe vultum coniugis ac verba considerans, nullum unquam mutati animi perpendit indicium: par alacritas atque sedulitas, solitum obsequium, idem amor, nulla

tristitia, nulla filie mentio, nunquam sive ex proposito sive incidenter nomen eius ex ore matris auditum.

[6] Transiverant hoc in statu anni quattuor, dum ecce, gravida iterum, filium elegantissimum peperit, letitiam patris ingentem atque omnium amicorum, quo nutricis ab ubere post biennium subducto, ad curiositatem solitam reversus pater, uxorem rursus affatur: «Et olim» ait «audisti populum meum egre nostrum ferre connubium, presertim ex quo te fecundam cognovere, nunquam tamen egrius quam ex quo marem peperisti. Dicunt enim — et sepe ad aures meas murmur hoc pervenit — “Obeunte igitur Valterio, Ianicule nepos nostri dominabitur, et tam nobilis patria tali domino subiacebit”. Multa quotidie in hanc sententiam iactantur in populis; quibus ego, et quietis avidus et — ut verum fatear — michi metuens, permovere ut de hoc infante disponam quod de sorore disposui. Id tibi prenuntio ne te inopinus et subitus dolor turbet». Ad hec illa «Et dixi» ait «et repeto, nichil possum seu velle seu nolle nisi quod tu, neque vero in his filiis quicquam habeo preter laborem. Tu mei et ipsorum dominus; tuis in rebus iure tuo utere. Nec consensum meum queras, in ipso enim tue domus introitu ut pannos sic et voluntates affectusque meos exui; tuos indui; quacunque ergo de re quicquid tu vis, ego etiam volo. Nempeque si future tue voluntatis essem prescia, ante etiam quicquid id esset et velle et cupere inciperem, quam tu velles; nunc animum tuum, quem prevenire non possum, libens sequor. Fac sentiam tibi placere quod moriar, volens moriar, nec res ulla denique nec mors ipsa nostro fuerit par amori». Admirans femine constantiam, turbato vultu abiit, confestimque satellitem olim missum ad eam remisit, qui multum excusata necessitate parendi, multumque petita venia siquid ei molestum aut fecisset aut faceret, quasi immane scelus acturus poposcit infantem. Illa eodem quo semper vultu, qualicunque animo, filium forma corporis atque indole non matri tantum sed cunctis amabilem in

manus cepit, signansque eum signo crucis et benedicens ut filiam fecerat, et diuticule oculis inherens, atque deosculans, nullo penitus signo doloris edito, petenti obtulit. «Et tene» inquit «fac quod iussus es. Unum nunc etiam precor: ut, si fieri potest, hos artus teneros infantis egregii protegas a vexatione volucrum ac ferarum». Cum his mandatis reversus ad dominum, animum eius magis ac magis in stuporem egit, ut nisi eam nosset amantissimam filiorum, paulo minus suspicari posset hoc femineum robur quadam ab animi feritate procedere, sed cum suorum omnium valde, nullius erat amantior quam viri. Iussus inde Bononiam proficisci, eo illum tulit quo sororem tulerat. Poterant rigidissimo coniugi hec benvolentie et fidei coniugalnis experimenta sufficere; sed sunt qui, ubi semel inceperint, non desinant; imo incumbant hereantque proposito. Defixis ergo in uxorem oculis, an ulla eius mutatio erga se fieret contemplabatur assidue, nec ullam penitus invenire poterat, nisi quod fidelior illi in dies atque obsequentior fiebat, sic ut duorum non nisi unus animus videretur, isque non communis amborum sed viri duntaxat unius, uxor enim per se nichil velle, ut dictum est, nichil nolle firmaverat. Ceperat sensim de Valterio decolor fama crebrescere: quod videlicet effera et inhumana duritie, humili penitentia ac pudore coniugii filios iussisset interfici, nam neque pueri comparebant, neque ubinam gentium essent ullus audierat; quo se ille vir alioquin clarus et suis carus multis infamem odiosumque reddiderat. Neque ideo trux animus flectebatur, sed in suscepta severitate experiendique sua dura illa libidine procedebat. Itaque cum iam ab ortu filie duodecimus annus elapsus esset, nuntios Romam misit, qui simulatas inde literas apostolicas referrent, quibus in populo vulgaretur datam sibi licentiam a Romano Pontefice, ut pro sua et suarum gentium quiete, primo matrimonio reiecto, aliam ducere posset uxorem; nec operosum sane fuit alpestribus rudibusque animis quidlibet persuadere. Que fama cum ad Griseldis

notitiam pervenisset, tristis, ut puto, sed ut que semel de se suisque de sortibus statuisset, inconcussa constitit, expectans quid de se ille decerneret cui se et sua cuncta subiecerat. Miserat iam ille Bononiam, cognatumque rogaverat ut ad se filios suos adduceret, fama undique diffusa virginem illam sibi in coniugium adduci. Quod ille fideliter executurus, puellam iam nubilem, excellentem forma preclaroque conspicuam ornatu, germanumque simul suum annum iam septimum agentem ducens, cum eximia nobilium comitiva, statuto die iter arripuit.

[7] Hec inter Valterius, solito ut uxorem retemptaret ingenio, doloris ac pudoris ad cumulum, in publicum adducte coram multis, «Satis» inquit «tuo coniugio delectabar, mores tuos non originem respiciens; nunc quoniam, ut video, magna omnis fortuna servitus magna est, non michi licet quod cuilibet liceret agricole. Cogunt mei, et papa consentit, uxorem me alteram habere, iamque uxor in via est statimque aderit. Esto igitur forti animo, dansque locum alteri, et dotem tuam referens, in antiquam domum equa mente revertere. Nulla homini perpetua sors est». Contra illa, «Ego» inquit «mi domine, semper scivi inter magnitudinem tuam et humilitatem meam nullam esse proportionem; meque nunquam tuo, non dicam coniugio, sed servitio dignam duxi, inque hac domo, in qua tu me dominam fecisti, Deum testor, animo semper ancilla permansi. De hoc igitur tempore quo tecum multo cum honore longe supra omne meritum meum fui, Deo et tibi gratias ago; de reliquo, parata sum bono pacatoque animo paternam domum repetere, atque ubi pueritiam egi senectutem agere et mori, felix semper atque honorabilis vidua, que viri talis uxor fuerim. Nove coniugi volens cedo, que tibi utinam felix adveniat, atque hinc ubi iocundissime degebam quando ita tibi placitum, non invita discedo. At quod iubes dotem meam tecum ut auferam, quale sit video, neque enim excidit ut paterne olim domus in limine spoliata meis, tuis induita vestibus

ad te veni, neque omnino alia michi dos fuit quam fides et nuditas. Ecce igitur ut hanc vestem exuo, anulumque restituo quo me subarrasti; reliqui anuli et vestes et ornamenta quibus te donante ad invidiam aucta eram, in thalamo tuo sunt. Nuda e domo patris egressa, nuda itidem revertar, nisi quod indignum reor ut hic uterus in quo filii fuerunt quos tu genuisti, populo nudus appareat. Quamobrem si tibi placet, et non aliter, oro atque obsecro ut in premium virginitatis quam huc attuli quamque non refero, unicam michi camisiam linqui iubeas earum quibus tecum uti soleo, qua ventrem tue quandam uxoris operiam». Abundabant viro lacrime, ut contineri amplius iam non possent, itaque faciem avertens, «Et camisiam tibi unicam habeto», verbis trementibus vix expressit, et sic abiit illacrimans. Illa, coram cuntis sese exuens, solam sibi retinuit camisiam, qua conlecta, nudo capite pedibusque nudis, egreditur; atque ita prosequentibus multis ac flentibus fortunamque culpantibus, siccis una oculis et honesto veneranda silentio, ad paternam domum remeavit. Senex, qui has filie nuptias semper suspectas habuerat neque unquam tantam spem mente conceperat semperque hoc eventurum cogitaverat, ut, satietate sponse tam humilis exorta, domo illam quandoque vir tantus et more nobilium superbus abiceret, tunicam eius hispidam et attritam senio, abdita parve domus in parte servaverat. Audito ergo non tam filie tacite redeuntis quam comitum strepitu, occurrit in limine et seminudam antiqua veste cohoperuit. Mansit illa cum patre paucos dies equanimitate et humilitate mirabili, ita ut nullum in ea signum animi tristioris, nullum vestigium fortune prosperioris extaret, quippe cum in mediis opibus inops semper spiritu vixisset atque humilis.

[8] Iam Panici comes propinquabat, et de novis nuptiis fama undique frequens erat; premissoque uno e suis, diem quo Salutias perventurus esset acceperat. Pridie igitur Valterius, ad se Griseldim evocans, devotissime venienti, «Cupio» ait «ut puella cras huc ad

prandium ventura magnifice excipiatur, virique et matrone qui secum sunt, simulque et nostri qui coniugio intererunt, ita ut locorum verborumque honor integer singulis pro dignitate servetur. Domi tamen feminas ad hoc opus ydoneas non habeo; proinde tu, quamvis veste inopi, hanc tibi, que mores meos nosti optime, suscipiendorum locandorumque hospitum curam sumes». «Non libenter modo» inquit illa «sed cupide et hoc et quecunque tibi placita sensero faciam semper, neque in hoc unquam fatigabor aut lentescam dum spiritus huius reliquie ulle supererunt». Et cum dicto, servilia mox instrumenta corripiens, domum verrere, mensas instruere, lectos sternere, ortarique alias ceperat, ancille in morem fidelissime. Proxime lucis hora tertia, comes supervenerat; certatimque omnes et puelle et germani infantis mores ac pulcritudinem mirabantur. Erantque qui dicerent prudenter Valterium ac feliciter permutasse, quod et sponsa hec tenerior esset et nobilior, et cognatus tam speciosus accederet. Sic fervente convivii apparatu, ubique presens omniumque solicita Griseldis, nec tanto casu deiecta animo nec obsolete vestis pudore confusa, sed sereno vultu intranti obvia puelle, «Bene venerit domina mea» inquit. Dehinc ceteros dum convivas leta facie et verborum mira suavitate susciperet, et immensam domum multa arte disponeret, ita ut omnes et presertim advene unde ea maiestas morum atque ea prudentia sub tali habitu vehementissime mirarentur, atque ipsa in primis puelle pariter atque infantis laudibus satiari nullo modo posset, sed vicissim modo virgineam, modo infantilem elegantiam predicaret. Valterius, eo ipso in tempore quo assidendum mensis erat in eam versus, clara voce coram omnibus, quasi illudens, «Quid tibi videtur» inquit «de hac mea sponsa? Satis pulchra atque honesta est?». «Plane» ait illa «nec pulcrior ulla nec honestior inveniri potest. Aut cum nulla unquam, aut cum hac tranquillam agere poteris ac felicem vitam; utque ita sit cupio et spero. Unum bona fide te precor ac moneo: ne hanc illis

aculeis agites quibus alteram agitasti, nam quod et iunior et delicatius enutrita est, pati quantum ego auguror non valeret». Talia dicentis alacritatem intuens, atque constantiam totiens tamque acriter offense mulieris examinans, et indignam sortem non sic merite miseratus, ac ferre diutius non valens, «Satis» inquit «mea Griseldis, cognita et spectata michi fides est tua, nec sub celo aliquem esse puto qui tanta coniugalis amoris experimenta percepitur». Simul hec dicens, caram coniugem leto stupore perfusam et velut e somno turbido experrectam, cupidis ulnis amplectitur et «Tu» ait «tu sola uxor mea es; aliam nec habui, nec habebo. Ista autem quam tu sponsam meam reris, filia tua est; hic qui cognatus meus credebatur, tuus est filius: que divisim perdita videbantur, simul omnia recepisti. Sciant qui contrarium crediderunt me curiosum atque experientem esse, non impium; probasse coniugem, non damnasse; occultasse filios, non mactasse». Hec illa audiens, pene gaudio exanimis et pietate amens iocundissimisque cum lacrimis, suorum pignorum in amplexus ruit, fatigatque osculis, pioque gemitu madefacit. Raptimque matrone alacres ac faventes circumfuse, vilibus exutam suis, solitis vestibus induunt exornantque; plaususque letissimus et fausta omnium verba circumsonant, multoque cum gaudio et fletu ille dies celeberrimus fuit, celebrior quoque quam dies fuerat nuptiarum. Multosque post per annos ingenti pace concordiaque vixerunt; et Valterius inopem sacerum, quem hactenus neglexisse visus erat, nequando concepte animo obstaret experientie, suam in domum translatum in honore habuit, filiam suam magnificis atque honestis nuptiis collocavit, filiumque sui dominii successorem liquit, et coniugio letus et sobole.

[9] Hanc historiam stilo nunc alio retexere visum fuit, non tam ideo, ut matronas nostri temporis ad imitandam huius uxoris patientiam, que michi vix imitabilis videtur, quam ut legentes ad imitandam saltem femine constantiam excitarem, ut quod hec viro suo prestitum, hoc prestare Deo nostro audeant, qui licet (ut Iacobus ait Apostolus)

intentator sit malorum, et ipse neminem temptet. Probat tamen et sepe nos multis ac gravibus flagellis exerceri sinit, non ut animum nostrum sciat, quem scivit ante quam crearemur, sed ut nobis nostra fragilitas notis ac domesticis indiciis innotescat. Abunde ego constantibus viris ascripserim, quisquis is fuerit, qui pro Deo suo sine murmure patiatur quod pro suo mortali coniuge rusticana hec muliercula passa est.